D III 3

~~[illegible]~~

SYNODVS
PROVINCIALIS GNESNENSIS PROVINCIÆ,

SVB

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISS: DOMINO

D. MATTHIA ŁVBIENSKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

Legato Nato, Regni Poloniæ

Primate & Primo Principe.

VARSAVIÆ

Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Tertio, Die Octauâ Mensis Nouembris

CELEBRATA.

M. Andr. Z.

Ibidem,

In Officina PETRI ELERT *S. R. M. Typographi, Anno D.* 1646.



MATTHIAS ŁVBIENSKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ
ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS
Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas
& Primus Princeps.

Illustrissimis & Reuerendissimis DD. Archiepiscopo Leopolieñ, alijsq; Prouinciæ nostræ Gnesnensis Episcopis, Dominis & Fratribus Nostris charissimis, ac ipsorum Capitulis, vniuersoq; Clero, Salutem in Domino.

TAles difficultates Nuncium nostrum Reuerendum D. Ioannem Matthæum Iudicki Canonicum Gnesnen. & Archidiaconum Pomeraniæ Romam venientem exceperunt, vt commissum sibi obtinendæ Confirmationis Synodi Prouincialis à Nobis celebratæ, munus nequaquam citiùs expedire, & ad Nos redire potuerit. Nam præter Summi Pontificis gloriosæ memoriæ VRBANI VIII. mortem, breui post eius

in Vrbem aduentum subsecutâm, acriter & diu admodum à nonnullis oppugnata est Synodus Nostra: in quibus confutandis multum fuit tum laboris tum temporis consumendû. Tertio tandem à peracta Synodo decurrente anno paucos ante dies, ad nos idem Nuncius redux, reddidit nobis Synodi Nostræ Prouincialis Constitutiones & Decreta, sacræ & supremæ Sedis authoritate firmata, simul cum literis tam Sanctissimi Domini Nostri, quàm Eminentissimi Domini Cardinalis Carafæ Sac: Congregationis Eminentissimorum Sac: Concilij Interpretû Præfecti, quarum ambas hîc inserimus.

INNOCENTIVS PP. X.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Militantis Ecclesiæ regimini, nullis licèt nostris suffragantibus meritis, diuinâ dispensatione præpositi, ex iniuncti Nobis muneris debito, felici prosperoq; Ecclesiarum quarumlibet statui & directioni sedulò intendimus, atq; hæc, quæ propterea pręsertim per earundem Ecclesiarum Præsules piè & prouidè facta fuisse comperimus, vt firma perpetuò subsistant, inuiolatèq; obseruentur, Apostolicæ Nostræ confirmationis munimine

robo-

roboramus, prout ad Diuini cultus, ac Catholicæ religionis incrementum, animarumq; Christi fidelium salutem conspicimus in Domino salubriter expedire. Cùm itaque sicut ex literis Venerabilis Fratris Matthiæ Archiepiscopi Gnesnensis, per Dilectũ filium Ioannem Matthæum Iudicki Archidiaconum Pomeraniæ in Ecclesia Vladislauieñ, & Canonicum Gnesneñ, à Clero Regni Poloniæ ad Nos pro præsenti confirmatione obtinenda missum, accepimus, ipse anno Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo tertio, Synodum Prouincialem celebrauerit, in ipsaq; Synodo nonnulla Decreta, quæ à Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Sac: Concilij Tridentini Interpretibus, iussu nostro, accuratè perlecta, & recognita, ac vbi opus fuit emendata sunt, condita fuerint. Nos egregiam ipsius Matthiæ Archiepiscopi, & Venerabilium Fratrum Episcoporum Comprouincialium suorum pietatem, & Catholicæ religionis zelum, ac in Nos, & hanc Sanctam Sedem deuotionem summoperè commendantes, & communi in illa Prouincia eorum Decretorum ob-

ſeruationi quantū cum Domino poſſumus conſulere volentes, Synodi præfatæ, quam eidem Matthiæ remittimus, ſtatuta, ſic, vt præfertur recognita, & emendata, ab omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam Sæcularibus, quàm cuiuſuis Ordinis Regularibus, ac alijs in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ad quos quomodolibet ſpectat, inuiolabiliter obſeruari præcipimus & mandamus, eundemq; Matthiam Archiepiſcopum & Epiſcopos Comprouinciales ſuos præfatos hortamur in Domino, & attentè monemus, vt Decreta præfata, iuxta eorum formā & tenorem, in ſuis Diœceſibus publicent, & illa publicari, atq; ab omnibus & ſingulis dictæ Prouinciæ perſonis ſęcularibus & regularibus alijſq; præfatis in omnibus, & per omnia integrè, ac ſub ſententijs, cenſuris, & pœnis in eis forſan contentis, recipi, admitti, obſeruari, præſtari, & debitæ executioni demandari faciant. Decernentes neminem ab eorū obſeruatione quouis prætextu & cauſa ſe excuſare debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâuis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit at-

tentari. In contrarium facieñ non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die XVIII. Decēb. M.DC. XXXXV. Pontificatus Nostri Anno secundo.

M. A. Maraldus.

LITERÆ
EMINENTISSIMI CARDINALIS CARAFÆ.

Perillustris & Reuerendissime Dñe vti Frater.

SYnodum Prouincialem, quam Amplitudo Tua, & Comprouinciales Episcopi, nuper in vnum conuenientes, ad morum reformationem, ad Ecclesiasticæ disciplinæ conseruationem, ad decus Episcopalis officij, isthic salubriter celebrauēre; quamuè per specialem Procuratorem Rñdum Dñum Ioannem Matthæum Iudicki Canonicū Gnesneñ & Archidiaconum Pomeraniæ, ad Summum Pontificē & Sanctam Apostolicam Sedem, examinandam, corrigendam, & approbandam misit, delatam iussu Sanctissimi Dñi Nostri, & ex proprio munere ad Sacram Congregationem Eminentissimorum Patrum Sacri Tridentini Concilij Interpretum, & maturè perlectam, examinatā, atq; in necessarijs correctam, ad eandem Amplitudinem Tuam, per ipsummet Procuratorem remittimus, vt opus ad populi salutem, Cleriq; reformationem, multis

vigi-

vigilijs multisq; laboribus Amplit. Tuæ, & Coëpiscoporum inceptum, & continuatum, lucem publicam aspiciat, fructusq; pariat, quos veneranda tantorum Patrum pietas sibi ab initio proposuit, quosuè ex intimis visceribus ipsa Romana Ecclesia tanquam communis Mater expostulat, quæ inter grauissimas curas quibus angitur, solicitudine quâ tenetur omnium Ecclesiarum, non potuit eximiam Religionem, deuotumq; in se nuper exhibitum obsequium Præclarissimorũ Antistitum, summis laudibus non efferre & plurimùm in Domino lætari, quod Rempublicam istam, tam sacris Infulis, quàm Magistratibus rectissimè administrantes, & tam spiritualia quàm temporalia imperia propagantes, non minus inuisibilibus, quàm visibilibus inimicis murum æneum Domus Israël præseferre studeant. Quæ quidem insignia facinora, sicuti nullum hortationibus locum relinquunt, sic eandem Apostolicam Sedem ad maiora in dies edenda Maternæ charitatis suæ testimonia excitant ac impellunt, vt in harum redditione fusiùs referet idem Rñdus Dñus Archidiaconus Pomeraniæ, qui tantâ sedulitate, tantoq; studio se gessit in Confirmatione huiusmodi promouenda & confutandis sæpiùs excitatis obiectis, vt non solùm ipsi diuturna in expeditione mora non sit imputanda, quæ solùm multiplicitati opponẽtium debetur; quin imò ipsius solertiæ tribuendum, quòd post longas contradictiones finem tandem inuenerit. De cætero Amplit: Tuæ annorum seriem, & cœlestium Charismatum

eam

eam precamur affluentiam, quibus pijßimos pro Ecclesia & Republica ſuſceptos labores, felici exitu valeat ad omnipotentis gloriam coronare. Romæ 24. Februarij 1646.

Amplitud: Tuæ

vti Frater ſtudioſus

Petrus Aloyſius Cardinalis Carafa.

Fran: Paulutius S. C. C. Secr.

à tergo.

Perilluſtri & Reuerendißimo Dño vti Fratri, Domino Archiepiſcopo Gneſnenſi Regni Poloniæ Primati.

Quod itaq; reliquum eſt, nos eaſdem Conſtitutiones in lucem damus, & per præſentes publicamus, atq; ab omnibus per Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ recipi & obſeruari percupimus, ad quod vti omnes & ſingulos per eaſdem Ditiones Primatiali & Metropolitanæ Noſtræ Iuriſdictioni ſubiectos hortamur, ita pronis animis facturos confidimus, præſertim accedente Illuſtriſsimorum & Reuerendiſsimorum Dominorum Lociordinariorum ſtudio, quod hac in re non defuturum certo Nobis pollicemur. Adjci præterea ad calcem eiuſdem Synodi Noſtræ curauimus nonnulla Apoſtolica nupera Reſcripta & Decreta, quorum alia cum cæteris Prouincijs & Regnis nobis communia, alia huic

duntaxat Regno & Prouinciæ nostræ Gnesnensi sunt accommodata. Quæ omnia vt ad Diuinæ gloriæ incrementum, felix Ecclesiarum Nobis commissarum regimen, & disciplinæ Ecclesiasticæ conseruationem, cedant; Diuinam bonitatem toto corde supplex oro. Ex arce Vnieiouien. die 12. Mensis Augusti Anno Domini M. DC. XLVI.

ACTA
&
CONSTITVTIONES
SYNODI PROVINCIALIS.

Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Tertio, die Dominico, quæ fuit dies Octaua Mensis Nouembris Varsauiæ inchoatæ, & quatuor sequentibus continuatæ.

IN nomine Sanctissimæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Synodus Prouinciæ Gnesnensis, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Tertio, Indictione Vndecimâ, Pontificatus Sanctissimi D. N. D. VRBANI Papæ VIII. Anno vigesimo primo, pro die Octaua Mensis Nouembris, Varsauiæ in Ecclesia Collegiata S. Ioannis, legitimè cele-

brata. Præſidente Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Domino D. MATTHIA LVBIENSKI Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Poloniæ Primate, primoq; Principe. Præſentibus autem Illuſtriſsimis & Rñdiſsimis Dominis Comprouincialibus Epiſcopis, PETRO GEMBICKI Cracouienſi, NICOLAO ALBERTO ab Olexow GNIEWOSZ Vladiſlauienſi & Pomeraniæ, ANDREA de Szoldry SZOLDRSKI Poſnanienſi, ANDREA GEMBICKI Luceorienſi, ALEXANDRO TRZEBINSKI Præmiſlienſi, Vicecancellario Regni, GEORGIO TYSZKIEWIC Samogitiæ, PAVLO PIASECKI Chelmenſi, ALEXANDRO SOKOLOWSKI Kijouienſi, ANDREA à Leſzno LESCZYNSKI Camenecenſi, NICOLAO KROSNOWSKI Vendenſi, ac Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi Dñi STANISLAI GROCHOWSKI Archiepiſcopi Leopolienſis nomine LVCA WITKOWSKI Canonico Leopolienſi, Sereniſsimi Principis Poloniæ & Sueciæ CAROLI FERDINANDI Vratiſlauienſis & Plocenſis Epiſcopi, Illuſtriſsimo & Rñdmo Dño ALEXANDRO TRZEBINSKI Epiſcopo Præmiſlieñ Vicecancellario Regni, GASPARI DZIALYNSKI Culmenſis & Pomezaniæ, GEORGIO ALEXANDRO DORPOWSKI Canonico & Officiali Generali Culmenſi, PETRO PARCZEWSKI Smolenſcenſi, Epiſcoporum; nec non Illuſtribus & Adm̃ Reuerendis Dñis, ALEXANDRO

DRO GLEMBOCKI Archidiacono, STANISLAO SLAWINSKI Cancellario, SIGISMVNDO CIELECKI Canonico Gnesneñ. ANDREA SRZEDZINSKI Episcopo Nicopolieñ Suffraganeo Leopoliensi, IOANNE TARNOWSKI Archidiacono, & GEORGIO GROCHOWSKI Canonico Cracouien. STEPHANO CASIMIRO CHARBICKI Præposito, SEBASTIANO GROTKOWSKI I. V. D. Archidiacono Vladislauiensi, IOANNE BRANECKI Archidiacono Psceuensi, ALBERTO GRABOWSKI Canonico Posnanieñ, GASPARO ZALIWSKI Archidiacono Vilnensi, PAVLO POTRYKOWSKI I. V. D. Archidiacono Pultouiensi in Ecclesia Cathedrali Ploceñ, IOANNE KRAIEWSKI Canonico Ploceñ, PETRO VSZYNSKI Decano, VALERIANO WILCZOGORSKI I. V. D. Archidiacono Luceoriensi, STEPHANO à Siecin SIECINSKI Cantore Præmisliensi, GEORGIO LOPACINSKI I. V. D. Archidiacono Samogitiæ, ALEXANDRO DORPOWSKI Canonico & Officiali Generali Culmeñ, CHRISTOPHORO BAKOWSKI Decano Chelmensi, PETRO PRZESPOLEWSKI Canonico Kijouiensi, CASIMIRO OPACKI Decano Camenecensi, IOANNE ROWINSKI Smolenscensi Capitulorũ Nuncijs. Reuerendissimis item Dominis, IOANNE MADALENSKI Episcopo Theodosieñ Suffraganeo Gnesneñ, Landensi, STANISLAO de Bogusławice SIERAKOWSKI Sanctæ Crucis, PAVLO GOSLAWSKI Paradisiensi, THEODORO PAWLOWSKI Bledzouieñ, CHRISOSTHOMO GORAZDOWSKI Plocensi, Abbatibus, IOANNE STRZEMBOSZ

Mſtouienſi, ANDREA FAVSTO VNIKOWSKI Koscielneñ, NICOLAO IASKOLSKI Strzelnen, ALBERTO TOLIBOWSKI Plocenſi, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Præpoſitis. Illuſtrium quoque & Rñdiſsimorum Dñorum, IOANNIS GEMBICKI Prępoſiti Miechouieñ IOANNE SACALSKI Cuſtode Miechouienſi, STANISLAI ZAREMBA Suleiouienſi, STANISLAO CZECHOWSKI Priore, SAMVELIS PLAZA Vitouieñ, MARTINO PAWLIKOWSKI, IOACHIMI MSTOWSKI Coricenſi, CAROLO CZARLINSKI Conuentus Peplinenſis Profeſſo, LEORNARDI REMBOWSKI Peplinenſi, FABIANO THIEL Suppriore Oliuenſi, ALEXANDRI KESOWSKI STANISLAO BAGNIEWSKI Priore, NICOLAI DVNIN Obrenſi Abbatum legitimis ex cauſis abſentium, Admodũ Reuerendo Dño ALEXIO DVBOWICZ Archimandrita Vilnenſi, Nuncijs; peracto ſacro ritu ſolenni per Illuſtriſſ: Dñum Archiepiſcopum Gneſneñ Miſſæ officio, inuocatâq; Spiritus Sancti gratiâ, ſuſceptum Synodi negotium aggreſſi ſunt, & ad Decreta Statutaq; Synodalia ſancienda proceſſerunt.

De profeſsione Fidei.

AD teſtificandam in Religione Catholica & obedientia Sedis Apoſtolicæ conſtantiam, inhærendo Decreto SS. Concil. Trident. Seſſ. 25. de Ref. cap. 2. Illuſtriſsimus Dñus Archiepiſcopus in prima hac

ſua poſt ſui ad Archiepiſcopatum euectionem Synodo, cum reliquis Illuſtriſsimis & Reuerendiſsimis Dñis Epiſcopis, ac alijs ſupramemoratis, Fidei Profeſsionem ex formula Pij IV. faciendam decreuerunt, feceruntq;.

Cùm ſæpè contingat ad beneficia præſertim in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſijs eos promoueri, qui per Procuratores fidei profeſsione factâ, & poſſeſsione beneficiorum aditâ, ipſi nunquam Eccleſias dictorum beneficiorum accedunt, & de altari viuentes, altari ſeruire prorſùs negligunt, præſens Synodus ſtatuit, vt quemadmodum SS. Concilij Trident. decreto de beneficijs quibuſcunq; curam animarum habentibus prouiſi, profeſſionem fidei intra duos menſes à die adeptæ poſseſsionis coram Epiſcopo vel eius Vicario facere obligātur, ita etiam Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum Prælati & Canonici, poſt Canonicam ad Prælaturas & Canonicatus inſtitutionem, ſaltem intra ſex menſium ſpatium Eccleſias Prælaturarum, Canonicatuumq; ſuorum perſonaliter accedere, & Catholicam Religionem ex formula Bullæ ſupramemoratæ in Capitulo profiteri teneātur, ſub poena in memorato Concilij decreto expreſsa, ac etiā priuationis, ſi quis Prælatorum aut Canonicorum creſcente contumaciâ, vltra annum, perſonalem ad Eccleſiam Canonicatuſq; ſui acceſſum, & fidei profeſſionem diſtulerit, niſi fortè ob iuſtas & legitimas cauſas à Sede Apoſtolica approbandas, præſcriptum accedendæ Eccleſiæ,

emit-

emittendæq; professionis tempus prorogari, rigoremq; Constitutionis præsentis relaxari oporteat.

Illustrißimi quoque & Reuerendißimi Domini Archiepiscopi & Episcopi intra sex mensium tempus, ab accepto ad capiendam possesßionem Breui, ad Ecclesias suas ingrediantur, Bullas prouisionum in Capitulis exhibeant, & professione fidei factâ, iuxta formam in Pontificali Romano præscriptam, iuramentum solitum secundùm formulam, quæ habetur in Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, sine vlla exceptione, restrictione, limitatione, & interpretatione præstent.

De Rescriptis Sanctæ Sedis Apostolicæ.

MVlta vtilißimè ad bonum Ecclesiæ Dei regimen à Sede Apostolica constituuntur, quæ quia ad notitiam huius Prouinciæ non deueniunt, executioni debitæ mandari non possunt. Supplicandum igitur suæ Sanctitati censet, & supplicat præsens Synodus, vt Bullæ omnes & Constitutiones, quæcunque Româ ad Illustrißimos Dominos Nuncios dirigantur, pro faciliori notificatione, quorum muneris erit curare, vt eæ Archiepiscopis, Episcopis, totiq; Prouinciæ Polonæ innotescant.

De Fe-

De Feſtis.

PEculiarem nonnullarum huius Prouinciæ Diœceſum erga Conceptionem Beatiſsimæ & immaculatæ Virginis deuotionem, præſens Synodus vniuerſis Diœceſibus cupiens eſſe communem, vt memoratæ Conceptionis Feſtum, cum Octaua per Totam Prouinciam ex deuotione tantùm celebretur, monet & hortatur.

Breue Beatificationis Beati Ioſaphat Archiepiſcopi Polocenſis, ad inſtantiam Epiſcoporum & Monachorũ Sancti Baſili, Græci ritus, Actis ſuis Synodus inſeri, & per totam Prouinciam publicari voluit, & mandauit; atq; ſuæ Sanctitati ſupplicandum pariter cenſuit, & ſupplicat, vt diem eiuſdem Beati Martyris non ſolùm per Prouinciam Polocenſem, ac totam Metropolim Ruſsiæ, ſed etiam per totam Poloniam, à Sacerdotibus Latini ritus, Officio & Miſsâ de Communi vnius Martyris, celebrandi ſua Sanctitas faciat poteſtatem.

Vt in tanta Parochianorum à Parochialibus Eccleſiis diſtantia, & temporum neceſsitate, ex religioſis animis laborioſæ plebis, quàm de dimidiatorum (vt vulgò vocant) Feſtis Eccleſiæ præceptum ſolicitam reddit & anxiam omnis ſcrupulus eximatur, quod Conſtitutione Macieiouiana ſtatuitur, vt dieb9 feſtis Transfigurationis, Præſentationis, Sanctæ Mariæ ad niues, Diuiſionis Apo-

C ſto-

ſtolorum, Vinculorum Petri, Conuerſionis Pauli, Sanctorum Lucæ & Marci Euangeliſtarum, Gregorij, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Eccleſiæ Doctorũ, populus auditâ Miſſa laboribus & operis liberè vacet, id conſilij non pręcepti vim habere declarat Synodus, & alias iuxta Conſtit. S. M. VRBANI Papæ VIII. de obſeruatione feſtorum quæ incipit. *Vniuerſa.* Vt autem omnia Regni Patronorũ officia ritè & ordine ſuo peragantur, ad ea ordinanda Illuſtriſsimum & R̃ndm̃um Dñum Georgium Tyszkiewic Epiſcopũ Samogitiæ Synodus deputauit.

De Caſibus reſeruatis.

VT commoditati & memoriæ Parochorum & Vicariorum omniumq; Confeſſariorum conſulatur, caſuum Papæ & Ordinarijs reſeruatorum, Cathalogum & Indicem typis recudendum Sancta Synodus cenſet: atq; vt in omnibus Eccleſijs in quibus confeſsiones audiuntur, ſellis confeſsionalibus affixi habeantur, & audientibus confeſsiones in promptu ſint, authoritate præſentis Decreti, mandatur omnibus Parochis, Commendarijs, Vicarijs, & quibuſcunq; Pœnitentiarijs, ſub pœnis Illuſtriſsimorum DD. Lociordinariorũ, aut eorum Officialium, vel etiam Archidiaconorum in Viſitationibus, ac Decanorum Ruralium in Congregationibus arbitrio infligendis.

De re-

De redimendis Captiuis, & Ministris Hæreticorum Ecclesiæ reconciliatis.

INter præcipua Christianæ pietatis officia censentur ea, quæ non minùs corporibus quàm animabus exhibentur, quo in genere cum iure meritò ponatur & numeretur Christianorum in potestatem infidelium deuenientium, & miseram cum præsentißimo defectionis à religione periculo seruitutem seruientium redimendorum & liberandorum cura, eam præsens Concilium suscipere constituit. Cùm autem ad eum effectum Illustrißimus olim Andreas Lipski Episcopus Cracouiensis summam decem millium florenorum per Executores ipsius Testamenti in bonis Reuerendißimi Dñi Pauli Piasecki nunc Chelmensis tunc Camenecensis Episcopi Biskupice dictis, atque in Palatinatu Lublinensi sitis, ex censu reemptionali locatam, & per eundem Reuerendißimum inscriptam legauerit, & Generosus olim Samuel Targowski Villam suam hæreditariam donauerit, & eiusdem reditus perpetuis temporibus pro redemptione Captiuorum conuerti voluerit, præsentis Synodi authoritate, Illustrißimis & Rñdißimis Dñis Posnaniensi & Camenecensi Episcopis committitur, vt diligenter attendant, ne summa, & Villæ memoratæ, censusq; & fructus inde prouenientes, præter intentionem testatoris &

donatoris disponantur & conuertantur. Atque ad similia Christianæ pietatis opera, cùm se ipsam tum omnes Christifideles exhortatur, exhortariq; in publicis concionibus omnibus verbi Dei Prædicatoribus mandat, & præcipit.

Non minor quàm captiuorum habenda est cura Ministrorum hæresim eiurantium, vt rerum ad vsum necessariarum sufficientia, & conuersis omnem pœnitentiæ vel saltem tentationis occasionem subtrahat, & ad conuersionem procliues ad Matris Ecclesiæ gremium alliciat & impellat, maximè cùm multi non contumaciâ voluntatis, sed famis & inopiæ metu in errore dicantur persistere, putenturq; nō difficile hæresim detestaturi, si suis vitæ & victus rationibus ab Ecclesia prospectum esse videant. Proinde Illustrissimi & R̄ndm̄i D̄ni Archiepiscopi & Episcopi Catholicæ Religionis, & perditarum animarum quærendarum zelo, charitatisq; proximi ardore, promiserunt se, in sua quemq; Diœcesi de congrua & conuenienti reconciliatorum Ecclesiæ Romanæ Ministrorum sustentatione, pro statu & conditione cuiusq; prouisuros.

Ac inprimis, ex residuo relictæ hæreditatis Illustrissimi olim & R̄ndm̄i D̄ni Iacobi Zadzik Episcopi Cracouień, quam ille vir propagandi honoris Diuini studiosissimus, & æternâ memoriâ dignus, in pios vsus & pauperum subsidium effundi voluit, Illustrissimus & R̄ndissimus D̄nus

Archi-

Archiepiſcopus Gneſneñ, vti Primarius eius Teſtamenti Executor, accedente aliorum Cóexecutorum conſenſu, ſuaſu multorum illuſtrium virorum, Centum millia Floreñ, in ſuſtentationem redeuntium ad Eccleſiam Catholicam Miniſtrorum aſsignauit: nimirum vt præfatis Centum millibus Florenorum, in bonis terreſtribus ex cenſu reemptionali collocatis, cenſus ab eis proueniens primò & præcipuè inter Miniſtros hæreſim eiurantes, tũ etiam inter alios, qui relicto errore ad Eccleſiam Catholicam redibunt, quotannis diſtribuatur. Cuius quidem rei cura Venerabili Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis commiſſa & demandata eſt.

De ratione augendi Prouentus Vicariorum in Eccleſijs Collegiatis.

PRælatorum & Canonicorum in pleriſq; Collegiatis Eccleſijs rari aut pauci plerumq; reſidere, prout tenentur, ſolent: quòd beneficia in Eccleſijs maioribus habeant aut ſperent; Vicariorum autem, quibus totum propè Prælatorum & Canonicorum onus & aliquando etiam animarum cura incumbit, prouentus adeò ſunt tenues, vt vix vni aut alteri ſuſtentando ſufficiant, atq; ita fit, vt Eccleſias propè deſolari, cantumq; & Diuina officia conticeſcere ſit neceſſe. Ne igitur Eccleſias

præfatas deſolari, & cultum Diuinum negligi contingat, poterunt Illuſtriſsimi Dñi Locorum Ordinarij ad præſcriptum S. Concilij Trident. Seſſ. 21. cap. 5. & cap. 13. & 15. Seſſ. 24. de Reform. reſpectiuè exiguos Vicariorum, præſertim curam animarum habentium, prouentus augere.

De Prouiſionibus Vicariorum non deſerendis.

QVamuis S. Concilij Trident. decreto, & Paſtorali Illuſtriſsimi olim Bernardi Macieiouij S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Archiepiſcopi Gneſnenſis conſtitutione prouidentiſsimè cautum ſit, ne Clericus ſecularis cum dedecore ordinis mendicare, aut ſordidum aliquem queſtum facere, ſedibuſuè incertis vagari cogatur; ideoq; quamuis aliàs idoneus ad Ordines Sacros, niſi beneficium, aut aliquam prouiſionem certam, & congruam habere ſciatur, admitti, ac Eccleſiam in qua prouiſus erat, inconſulto Ordinario, vel eius Officio, dimittere prohibeatur: quia tamen pleriq; Vicarij ſimul ac ad Sacros Ordines promoti fuerint, prouiſiones ſuas, ad quas ordinati ſunt, deſerere conſueuerunt, ac eo ipſo non obſcurè demonſtrant, ſe fictis & ementitis titulis, Ordinarijs, Archidiaconis, & Examinatoribus impoſuiſſe, atq; in fraudem Ordines obtinuiſſe, præſens Synodus decre-

decretum S. Concilij Trident. & Constitutionem Macieiouianam ad executionem omninò deducere cupiens, statuit, vt ad Vicariatus Parochialium præsertim Ecclesiarum ordinandi, non solùm Ecclesiam in qua prouisi fuerint, inconsulto Ordinario, aut eius Officio, sub pœna suspensionis ab executione Ordinum, non dimittant; sed etiam coram Actis Ordinarij, vel Officialis, in cuius territorio est Ecclesia, cui adscribi se velle præseferunt, iurent se absq; Ordinarij vel eius officij expresso, & in scriptis obtento consensu, Ecclesiam prouisionis non dimissuros; nec Rectores Ecclesiarum absq; eiusmodi consensu quemquam Vicariorum ad Ecclesias suas recipere poterunt, sub pœna centum Marcarum, pro redemptione captiuorum applicanda.

De Scultetijs.

SCultetiæ glebæ adscriptæ in bonis Archiepiscopalibus, & Episcopalibus, quæ obsequijs Domino præstandis oneratæ sunt, possessoribus & eorum successoribus legitimis, nonnisi ex causa inutilitatis adimantur, cùm certum sit rem familiarem plerumq; meliùs ab hæredibus successorum, certis & suorum æquè ac sua commoda spectantibus & quærentibus, quàm à temporaneis & aduitalibus, & alienum successorem accepturis, Dominis administrari; ob camq; causam & Sculteticas desola-

ſolationi minùs obnoxias, & obſequia Sculteτorum Epiſcopis debita, certiora diuturnioraq; futura meritò ſperari poſsit. Quam Conſtitutionem etiam ad Molendina, quæ certo numero definita, vel tertias quaſq; frumentorum menſuras, prout conuentum eſt, pendunt, extendi expedire, nec ea vnquam niſi molitoribus peritis concedere viſum eſt Synodo. Priuilegia ſuper Aduocatijs ab Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Dño Archiepiſcopo & Epiſcopo data ceſsionariò, nulla ſint. Aduocatiæque ſucceſſoris Archiepiſcopi vel Epiſcopi diſpoſitioni ſubiaceant, niſi ceſsio aduocati poſſeſſoris & Capituli conſenſus viginti ſaltem diebus mortem aut tranſlationem Archiepiſcopi vel Epiſcopi dantis præceſſerit.

De penſione Iudicum deputatorum.

CVm dignum eſſe operarium mercede ſuâ, & neminem ſuis militare ſtipendijs Diuina humanaq; decernant iura, Iudicum ad Generale Regni Tribunal deputatorum, qui Eccleſijs vtilem, non ſine ſua moleſtia, labore, ſumptu, ac inuidia, nauant operam, maxima habenda eſt ratio. Et quia prorogato Iudiciorũ Lublinenſium tempore, auctus eſt & Deputatorũ numerus, ſtipendium etiam augeri cenſuit Synodus oportere. Itaq; Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi DD. Archiepiſcopi &

Epi-

Episcopi, ac Rñdisimi DD. Abbates, & Præpositi præsentes à se, Nuntij verò absentium à suis Prælatis promiserunt, singulos Illustrisimorum & Reuerendisimorum Dñorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, Abbatũ, & Præpositorum, suæ quemq; Ecclesiæ & Diœcesis deputato, vsitatam hactenus pensionem duplicaturos, eâ tamen lege & conditione, vt quod ab Episcopis Græci ritus pensionis nomine conferetur & contribuetur, id solis Ecclesiarum Rusiæ deputatis debeatur. Si tamen Petricouiam pro electione Marschalci conuenerint, & Lublini continuò resederint, aliàs si die electionis Marschalci Petricouiam se non stiterint, & Lublini continuè non manserint, à participatione stipendij excludantur.

De Procuratore ad causas Clericorum in Iudicijs.

DE bonis, decimis, censibus, pauperum Parochorum ac aliorum Clericorum, per Procuratores Illustrisimorum & Rñdisimorum DD. Archiepiscoporum & Episcoporum vindicandis, omnes retroactarum Synodorum Constitutiones, quæ à Sede Apostolica approbatæ fuerint, authoritate præsentis consilij renouantur & reassumuntur. Sed nè soli Illustrisimi Domini fouendorum dictorum Procuratorum onere

grauentur, & propriarum impenſarum metu, rem Eccleſijs adeò vtilem impediant, aut morentur & negligant; expedire viſum eſt, ſingulas in poſterum Dioeceſes habere in Tribunalibus præſertim Regni, litium cauſarumq; Eccleſiarum ſuarum Patronos, qui Eccleſijs eorumque Rectoribus, non ſolùm Illuſtriſsimorum & Rñdmorum DD. Archiepiſcoporum & Epiſcoporum liberalitate, ſed etiam certa Dioeceſani Cleri penſione obligentur. Quæ quidem penſio à Locorũ Ordinarijs per Decanatus conſtitui, & à Decanis ruralibus ſeruari, ac inde ſumptus in neceſſarias, & per officium Locorum Ordinariorum permiſſas lites ſubminiſtrari, & demùm quod eo nomine à Decanis acceptum fuerit, id finitâ & obtentâ causâ eiſdem Decanis reſtitui debebit.

De Gratijs.

VT Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi DD. Archiepiſcopi & Epiſcopi habeant, vnde Prælatorum & Canonicorum reſidentium, ac familiarium, quorum promptam, crebram, diligentem ac vtilem, in Eccleſiarum negotijs experiuntur operam, obſequia & merita remunerentur, nec in vnius ſinum omnes copiæ congerantur; Villæ, decimæ, & aliæ gratiæ, quæ à menſis Archiepiſcopalibus & Epiſcopalibus dependent, nulli qui Epiſcopatum Regni, vel beneficium Regulare, ſiue in ti-

in titulum, ſiue in Commendam aſſecutus fuerit, & in gremio Capituli non fuerit, conferantur, & ſtatim poſt aſſecutionem Epiſcopatûs, vel beneficij Regularis, dimiſſamq; in Cathedrali Prælaturam vel Canonicatum, ipſo facto diſpoſitioni Illuſtriſsimorum DD. Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ſubiaceant, nec vllus contradicendi locus relinquatur.

De Clericis fugitiuis.

ACcidit nonnunquam, Sacerdotes, alioſq; Clericos, conſcientiâ delictorum, promeritarumq; & per ſententiam latarum pœnarum metu, ſolum vertere, & deſertis Eccleſijs ac beneficijs ad alienas Diœceſes commigrare. Quare Sacra Synodus Eccleſiarum orbitati conſulere cupiens, ſtatuit primùm, vt eiuſmodi profugarum beneficia ſequeſtrentur, & fructus fabricæ Eccleſiarum applicentur. Deinde ſi per edictum publicum citati in decurſu trium menſium non redierint, pœnis arbitrarijs puniantur, & poſtquam de illorum reſidentia innotuerit, ad requiſitionem Ordinarij, Eccleſiarum & beneficiorum deſertorum, per officium in cuius territorio commorabuntur, capiantur: & ad officium loci in quo deliquerunt remittantur. Atq; vt efficaciùs his Clericorum transfugijs occurratur, nullus Clericus ad vllam alienæ Diœceſis Eccleſiam ſine ſui Ordinarij di-

missorijs recipiatur & admittatur. Quod si quis Reuerendissimorum DD. Episcoporum, aut eorum Officialium, ad Dioecesim & territorium suum, aut Rectorum Ecclesiarum, ad suam Ecclesiam huiusmodi transfugã, delictorum poenas fugientem, absq; prædictis dimissorijs receperit, aut admiserit, Episcopus quidem poenâ in Concil. Prouinciali decernenda puniatur, Officialis autem & Ecclesiæ Rector mulctâ centum Marcarum sine vlla veniæ spe mulctetur, ad præscriptum S. Concil. Trid. cap. 1. sess. 23. & cap. 5. sess. 24. de Reform.

De Musica docenda.

CVm ob imperitiam cantus magna sit tam in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs Vicariorum, quàm in Parochialibus Cantorum penuria, intermissum Musicæ studium omninò reuocandum censuit Synodus, atq; vt in omnibus Ciuitatibus, Oppidis, & Pagis, vbi maior est Scholarium frequentia, Parochi & ij ad quos scholarum gubernatio, & admittendorum & dimittendorũ cantorum cura spectat, Cantores habeant artis canendi peritos, qui singulis diebus horam integrã continuam, vel interpellatam, prout illis commodiùs videbitur, impendant imbuendæ Musicæ præceptis iuuentuti; quod etiam in Seminarijs, quæ reguntur à Patribus Societatis IESV obseruandum erit, in quibus etiam erudiri

diri poterunt ij, qui in illis non aluntur, pro arbitrio tamen Rectorum eorundem Seminariorum.

Clerici habitu decenti & modesto vtantur.

VT per decentiam habitus extrinseci (quemadmodum loquitur S. Concil. Trident.) morum honestatem ostendant Clerici, omnia superiorũ Synodorum de habitu Clericorum decreta authoritate huius Concilij renouantur, & specialiter prohibetur, nè comas absque causa raritatis capillorum aut caluitij, ad portentosam prolixitatem promittant; neué rubris, violaceis, ceruleis, aut alterius quàm nigri coloris sutannis, pallijs, & vt vulgò vocant palendris, & curtis vestibus, præsertim in Ecclesia, ac etiam extra domum, aut pretiosis pellibus, passim sine vllo nobilis & plebeiæ conditionis discrimine (exceptis Prælatis, & Canonicis Cathedralium & Collegiatarum insigniorum Ecclesiarum, Doctoribus, ac familiaribus Illustrissimorum Dñorum Episcoporum) vtantur; aliâs quicunq; Clericus comatus, post mensem à publicatione præsentis Concilij, aut clarioris nigro coloris veste, in Ecclesia, aut extra domũ, curtâ & non talari veste indutus foris, nisi fortè in itinere, vel itineris procinctu, aut pretiosis pellibus, exceptis supramemoratis, apparuerit, Prælatus quidem & Canoni-

cus Cathedralis & Collegiatæ Ecclesiarum, in quibus distributiones habentur, per mensem à perceptione refectionum sit suspensus, alij verò beneficiati pœnâ decem marcarum puniantur, & mulctæ quæ eo nomine exactæ fuerint, in fabricam Ecclesiarum conuertantur. Si verò semel correpti denuò in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum & beneficiorum coërceri possunt, iuxta Concil. Trid. Sess. 14. cap. 6. de Reform.

Quomodo occurrendum sit Presbytericidijs.

FRequentatæ nuper Presbyterorum cædes, nos admonent, vt & securitati hominum Ordinis Ecclesiastici prospiciamus, & sacrilegijs, quibus impij Clericidæ suas obstringunt animas, occurramus; omnes & singulos Clericos præsens Synodus verbis S. Concil. Trid. hortatur, vt conuersatione, sermone, & scientiâ, commisso sibi Dei populo præeant; memores eius quod scriptum est: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum;* & iuxta Apostoli vocem, *nemini dent vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se sicut Ministros Dei:* nihil enim Sacerdotibus maiorem populi amorem & venerationem conciliat opinione sanctitatis. In particulari autem, abstineant Clerici à nimia familiaritate, & longis præsertim de nocte

con-

conuiuijs, & compotationibus sæcularium: nam & familiaris consuetudo contemptos plerumq; reddit quos vulgauit, & intempestiui præsertim ad pocula, tesseras, & chartas lusorias consessus, iurgijs & conuicijs proximam præbent occasionem, à quibus deinde venitur ad manus, fustes, gladios, vulnera & cædes. Quodsi nihilominus Clericidium committi contingat, statutum de excommunicatione contra authores publicanda diligenter seruetur, nec non pœna interdicti, ad præscriptum alterius Synodi Prouincialis Gnesnensis, sub titulo *de pœnis*, fel. record. Greg. 13. confirmatæ 8. April. 1578.

Exorcismorum vsus pasim non permittendus.

EXperientia cognitum est, in locis vbi Sacerdos qui exorcismos exercet, & sine discrimine quoslibet exorcisat, habitat, ac in tota vicinia plurimos præsertim mulierculas, quas imaginatione aut alio naturali morbo laborare contingit, maleficiatas & à dæmonibus obsessas sibi videri; opinionem futilem & vanam, exorcistâ per imperitiam, aut etiam commodi & emolumenti sui causâ fouente, multaq; absurda ex occasione exorcismorum accidunt, quæ risum & cachinnos in Ecclesijs mouent, & scandala pariunt, veramq; miraculorum & super dæmonia potestatis, in Ecclesia Dei relictæ fidem ele-

eleuant. Quare nè quiſquam Sacerdotum aut Clericorũ tam ſæcularium, quàm Regularium, Exorciſmis paſsim super eos, qui à dæmonibus obſeſsi, aut maleficiati eſſe putantur, abſque licentia Ordinarij in ſcriptis obtenta vtatur, ſeriò prohibet Synodus, ſub pœnis arbitrio eiuſdem Ordinarij contra delinquentes decernendis. Licentiam autem prædictam Illuſtriſsimi Dñi Locorum Ordinarij concedere non debebunt, priuſquam de Exorciſtarum vita, moribus, doctrina, inquiratur; exorciſandi modus ac exorciſmorum libri per Theologos diligenter examinentur & approbentur.

De bonis Archiepiſcopalibus, & Epiſcopalibus, ac iuribus Capitulorum.

QVæ olim ad conſeruandam bonorum Archiepiſcopalium integritatem, & ſtatum, in diuerſis Synodis conſtituta ſunt, & ſparſim in ſtatutis Prouincialibus lib: I. de officio Ordinarij Anno D. 1561. § *Deinde vt omnes* lib. 5. cap. II. Epiſtola Paſtorali *de conſer. bon. & Iurium Eccleſiaſticorum*, in Synodo Gembiciana tit. *de bonis menſæ*, in Węzykouiana, *de Reuiſione bon.* ſcripta reperiuntur, ea omnia præſens Concilium renouat, & omninò ſeruari vult, & præcipit: ac quædam alia

non

non minùs vtilia & necessaria adiungens, statuit: Nè Illustrissimi & Reuerendissimi DD. Archiepiscopi & Episcopi, aut ipsorum factores, ab iniuriis ad capitula deferendis prohibeant, aut minis & verberibus deterreant subditos, neué se de querelis eorundem subditorum à Capitulis admoneri grauatè ferant, cùm & ad Capitulorum officium pertineat, indemnitati bonorum, & subditorum Archiepiscopalium & Episcopalium prouidere, & Illustrissimorum DD. Archiepiscoporum & Episcoporum existimationis conscientiæq; plurimùm intersit, pauperũ gemitum, quem aliquando diligens mutuò sibi fauentiũ familiarium cura ab auribus DD. submouet, per fidelem sui Senatus relationem exaudire, & sublatis gemendi causis comprimere.

Item statuit, nè de iniuriis præsertim grauioribus & enormioribus subditorum, vt sunt homicidia, stupra, stigmata, vnquam componatur, aut si componere expedire visum fuerit, non sine consensu & interuentu Capitulorum componatur & transsigatur.

Quia verò nonnullorum Monasteriorum, præsertim eorum, quæ per Commendas à Clericis sæcularibus administrantur, fabrica prorsus est neglecta; Sacra Synodus ruinas Monasteriorum prohibere satagens decernit, vt omnes Reuerendissimi Regularium beneficiorũ Administratores & Commendatarij, aut certam Monasteriorũ ruinosorum partem emendare & restituere, aut pecuniæ

quotam, circa suas ad Monasteria receptiones, per Illustrissimos & Reuerendissimos DD. Locorum Ordinarios definiendam, pro fabrica & supellectili Ecclesiastica, ad manus Priorum quotannis tradere teneantur: qui Priores restituendorum ædificiorum sartorumq; tectorũ Monasterij curam habeant, & accepti & expensi Commendatarijs vnà cum aliquo de gremio Cathedralis Ecclesiæ per Illustrissimum & Rñdmum D. Loci Ordinariũ deputando, reddat rationem.

In administratione bonorum mensæ Capitularis, ac alijs iuribus Capituli, obseruetur decretum Sac. Concil. Trid. sess. 25. cap. 6. de Reform, & constitutio Gembiciana cap. de Iurisd. Capituli. Prælati verò & Canonici, ac reliqui omnes beneficiati, vt bona ad Prælaturas & Præbendas, beneficiaq; sua pertinentia, vindicare, tueri, & conseruare studeant: eorumq; meliorem semper faciant rationem, ab Illustrissimis Dñis Locorum Ordinarijs moneantur, & damna ac vastitatem, si quæ culpâ & negligentia ipsorum in bonis Ecclesiasticis accidit, præstare teneantur, & per sequestrationem fructuum, qui in restaurationem bonorum desolatorum conuertantur, aut alio iuris remedio compellantur. Villarum item quæ à Mensis Archiepiscoporum & Episcoporum auulsæ, Capitularibus vel extra Capitularibus personis ad vitam, vel ad certum annorum decursum, aut ad aliud quomodocunq; limitatum tempus, concessæ sunt, reuisio de trien-

nio

nio in triennium instituatur; & si ex reuisione constiterit, possessorem seu gratialistam bonorum sibi concessorum, deteriorem fecisse conditionem, aut æstimationem damni, intra tempus ab Ordinario definiendum soluat, aut possesione moueatur.

Constitutio Węzykouiana de temerè litigantibus innouatur, & declaratur.

Constitutionem Illustrisimi olim clarisimæ memoriæ Ioannis Węzyk Archiepiscopi Gnesneñ, de temerè litigantibus, in Synodo Varsauiensi factam, innouandam & reassumendam censet, innouatq; & reassumit præsens Synodus, cum ea declaratione, vt in repentinis & subitis casibus, in quibus præsens iniuria subitam & repentinam requirit iustitiam, nec ad Ordinarium facilis est recursus, locum non habet.

De Suffragijs mortuorum.

Missas cum Vigilijs pro defunctis antiquis Constitutionibus decretas, innouat Synodus, atque singulis Trimestribus seu quartualibus, die aliquo Quatuor temporum celebri ad populum, festo non impedito institui mandat, & præcipit.

De vnione Ruthenorum promouenda.

CONſtitutionem Macieiouianam, quæ Schiſmate Græco diuiſam Chriſti Eccleſiam vnire cupit & ſatagit, & ad Paſtoris Paſtorum votum & gloriã, Ruthenorum Eccleſiæ cum Romana Vnionem promouendam, omniq; fauore proſequendam, cenſuit præſens Concilium renouare, & ritus Græci Sacerdotum & Clericorum percuſſores in Canonem. *Si quis, &c.* incidere, nec à Confeſſarijs Latini ritus ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ authoritate & licentia abſolui poſſe declarat, iuxta tamen Iuris communis diſpoſitionem: ac ſuæ Sanctitati ſupplicat, vt quod iam olim Romana deſiderauit Eccleſia, magnoq; ad vnionem adiumento fore putatur, Calendario Gregoriano Ruthenis vti liceat.

Porrò vt quâ charitate Clerus Romanus Ruthenos vnitos complectitur, eandem ipſi Clero Romano exhibeant, monitos eſſe vult, monetq; Sacra Synodus, nè prærogatiuas, & iura Epiſcoporum, Cleriq; Romani ſibi vſurpent, aut impediant; vtq; Illuſtriſsimorum titulis abſtineant, torquibus aureis nonniſi ad Miſſam vtantur, Monaſticum Sancti Baſilij habitum deferant, decimas Latino Clero nefas eſſe ſolui aut reddi non doceant, neq; à ſuis Popis doceri permittant, nec quidquam quod iuribus La-

tino-

tinorum Sacerdotum præiudicet committant. Quodſi in aliquo præmiſſorum vel ſimilium deliquerint, coram Illuſtriſsimo D. Commiſſario à Sede Apoſtolica deputando, conuenti reſpondere, iudicatumq; pati tenebuntur.

De Regularibus mendicantibus.

SAcros Religioſorum cætus, magno ſemper vſui & ſubſidio Eccleſiæ fuiſſe, & eſſe fatetur & agnoſcit Sacra Synodus; ſed cùm ex certa conſtantiq; omnium ferè Illuſtriſsimorum DD. Epiſcoporum, Capitulorum, & Rectorum Parochialium Eccleſiarum relatione, graui cum ſuo dolore intellexiſſet, nonnullos Regularium Eccleſias & Capellas, priuatâ authoritate erigere & benedicere; nec non Miſſas in priuatis ædibus Laicorum legere; diuiniſsimum Sacramentum clàm & in ſinu ad infirmos deferre, vbi hæreſis non graſſatur; confeſsiones ſæcularium, abſq; approbatione Locorum Ordinariorũ, etiam extra ſui Ordinis Eccleſias, & caſus neceſsitatis audire, Capellanos, Muſicos, pennuarios ſeu promos & condos apud homines priuatos vtriuſq; ſexus, agere, ac alia forſan ſcandala Regularium, quæ diſciplinã Eccleſiaſticam diſſoluunt, Iuriſdictionem Epiſcopalem violant, Regularem obſeruantiam tollunt, oculos & animos fidelium offendunt; nullo modo id ſibi ferendum putauit Synodus. Atq; memorati Regulares monen-

tur, vt ſe intra limites Clauſtrorum, Inſtitutorumq́; ſuorum contineant, ab Iuriſdictionis Epiſcopalis vſurpatione, & Sacramentorum, præter præſcriptum Sacrorum Canonum Concilij Trident. & Bullæ Gregorij xv. adminiſtratione, diuiniſsimi Sacramenti irreligioſa geſtatione, Miſſarumq́; in locis priuatis celebratione, & familiaribus ſæcularium cuiuſcunq; conditionis, obſequijs & miniſterijs deſiſtant, & abſtineant, omninòq́; extra Clauſtra, nō ſolùm delinquere, ſed etiam degere caueant; aliâs Illuſtriſsimos & Rn̄diſsimos Dn̄os Locorum Ordinarios, iure ſibi competenti, in contra facientes, prout iuris, vſuros & proceſſuros, Concilium denunciat: atq; ipſis Illuſtriſſimis DD. Ordinarijs, eorum Officialibus, vt vtantur, & procedant, authoritate Sacrarum Conſtitutionum iniungit. Monentur etiam Rn̄diſsimi Dn̄i ex Regularibus Epiſcopi, vt ſuæ Religionis habitum quiſq; deferat.

De dimiſsis & eiectis ex Religionibus.

NE dimiſsi ex Religionibus & Societatibus, non habentes particularia priuilegia à Sede Apoſtolica, præſertim Presbyteri, qui ad titulum paupertatis ordinati ſunt, mendicare cogantur, ſtatuit ſacra Synodus, nè ſine grauibus cauſis, & authoritate ac ſcitu Ordinariorū, prouiſioneq́; parata dimittantur, aut certè

à Re-

à Religionibus tam diu ſuſtententur, donec illis de certa aliqua & ſtabili prouiſione proſpiciatur; cumq; dimiſsionum huiuſmodi prima ferè & maxima cauſa ſit, quòd admodùm pueri, & parùm deliberata voluntate, perſuaſionibus varijs tempore profeſsionis, ad emittenda vota pelliciantur, hortatur omnes Religionum & Societatum Patres, vt nonniſi maturos, ſponteq; ſuâ inductos, ad Nouiciatum admittant. Item ſtatuit eadem Synodus, nè dimiſsis & eiectis ex Societate IESV, ad Cathedralium Eccleſiarum Prælaturas & Canonicatus, ſine ſpeciali S. Sedis Apoſtolicæ gratia, aditus pateat.

De Regularibus.

IN reliquis, quoad Regulares, cuiuſcunq; Religionis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, obſeruetur Conſtitut. ſa. mem. Gregorij xv. de Exempt. priuilegijs incipien. *Inſcrutabili Dei prouidentia.*

Calices aurei ab Archiepiſcopis & Epiſcopis, Eccleſijs Cathedralibus dandi.

AVreum calicem, Illuſtriſsimi DD. Archiepiſcopi, Gneſnenſis, Leopolienſis, & Cracouienſis, Vladiſlauienſis, Poſnanienſis, & Plocenſis, Luceorienſis Epiſcopi,

ſcopi, ſuis ſe Eccleſijs daturos, & donaturos Synodaliter promiſerunt: quorum exemplum, etſi Succeſſores etiam ſequuturos, dictoſq; calices liberaliter daturos & donaturos, minimè dubitet Synodus; tamen vt largitatis gloriam etiam obedientiæ merito cumulent, authoritate præſentis Concilij ſtatuitur, vt memorati Illuſtriſsimi Dñi in primo ſtatim ipſorum ad Eccleſiam ingreſſu, promiſſos calices dent, & dare teneantur. Reliqui verò Reuerendiſsimi Ruſsiæ Epiſcopi, qui tenuiores habent reditus, ad ſimilem, quantùm rationes eorum patiuntur, liberalitatem inuitantur.

Ne Regularia beneficia à Secularibus Clericis ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ occupentur.

PRæcipiti cupiditate Secularium Clericorum, praua, & Sacris Canonibus damnata conſuetudo ſenſim introducitur, vt beneficia Regularia, priuatâ authoritate, & antequam adminiſtrationis & Commendæ literæ expediantur, occupent: cui corruptelæ maturè obuiare cupiens Synodus, pœnas cap. Auaritiæ in 6. & Statuti Prouincialis lib. 1. de Electione, contra tales, ad executionem deduci vult, & vt deducantur, ab Ordinarijs requirit, & exigit, ſub pœna interdicti ab ingreſſu in Eccleſiam.

Bona

Bona Ecclesiastica Iudæis non arendentur.

INdignum est Iudæis subijci Christianos; quare probare non potest nec debet Synodus, quòd nonnulli Illustrissimorum DD. Episcoporum Episcopatuum suorum bona Iudæis locantes & arendantes, suum in subditos Christianos imperium & iurisdictionem eis communicent, atq; adeò totaliter in eosdem transferant, ac vt ab eiusmodi locationibus & arendis prorsùs abstineant, & omni in posterum commercio caueant, monet eosdem Sacra Synodus.

In correctione Cleri ordo iuris seruandus.

GRauiter accepit Synodus, quòd aliqui Illustrissimorum DD. Episcoporum, ad extremas Clericorum etiam Prælatorum, & Canonicorum Cathedralium & Collegiatarum, pœnas præcipitanter, & non seruato iuris ordine, prosilire præsumant; atque vt in posterum in corrigendis Clericorum excessibus gradus Conc. Trid. seruentur, innouat statutũ lib. 5. cap. 10. vtq; liber & securus ad iudicia cuiq; Clericorum sit accessus, ab omni specie minarum, & terroris abstinere debe-

bunt Illustrißimi Locorum Ordinarij, nec vllum nisi legitimè conuictum pro modo excessus punient. Prælatos autem & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, etiamsi alia beneficia extra Ecclesiam Cathedralem habeant, in personalibus, sine adiunctis Capitularibus, iuxta cap. 6. sess. 25. de Reform. non iudicent: in realibus autem & circa aliorum beneficiorum officia delictis, quamuis absq; adiunctis iudicari poterint: tamen vt nonnisi coram ipsismet Ordinarijs, aut ipsorum Officialibus Generalibus, & quidem circa Ecclesias Cathedrales respondeant, præsenti indulgetur Decreto. Quòd si Illustrißimi Dñi Locorum Ordinarij, non seruato iuris ordine aut formâ præscriptâ, contra Clericos præsertim Prælatos & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis processerint, in Synodo Prouinciali causam dicere, & pœnam arbitrio eiusdem Synodi subire teneantur.

Prælati inferiores non residentes habeant suos Vicesgerentes.

NOn sine magna cultus Diuini diminutione, & boni in Ecclesijs præsertim Cathedralibus ordinis neglectu, ac supellectilis Ecclesiasticæ iactura aut periculo, accidit, quòd Prælati, qui suis Prælaturis inferioribus certa Vicariorum regendorum, scholæ dirigendæ, sacræ supellectilis seruandæ, curam habent annexam,

xam, & ipſi non reſideant, & qui ipſorum vices ex vſu & neceſsitate Eccleſiarum obeant, neminem ſufficiant; quare vt qui eiuſmodi Prælaturas obtinent, in abſentia ſua per Vicariam alicuius ex Confratribus operam, officiorũ ſuorum partes exequantur & abſoluant, præſenti Synodo monentur & iubentur, ſub pœna ſequeſtrationis certæ partis fructuum, arbitrio Ordinarij, ex præbendis ipſorũ detrahendæ; ita tamen vt Prælati abeſſe non poſsint, niſi ex cauſis iuxta præſcriptum Sacrorum Canonum, & Sac. Concil. Trid. ac Conſtitutionis ſan. mem. Vrbani VIII. ſuper reſidentia Epiſcoporum.

Proceſſus per negligentiam obtenti quomodo tollendi.

SOlent nonnunquam ſuper bonis Archiepiſcopalibus & Epiſcopalibus proceſſus, per meram factorum negligentiã, obtineri, qui deinde aliter, quàm aut iuratis Capitularium ignorantijs, aut pecuniarijs pœnis, tolli non poſſunt; cùm autem vix contingere poſsit, vt deſuper nihil omninò ad Capitula notitiæ peruenerit, pecuniæ potiùs iacturâ, quàm conſcientiæ famæq; diſcrimine, dictos proceſſus tollendos eſſe cenſuit Synodus.

Interceptores in Iudicijs causarum quomodo puniendi, & causæ ex Iudicio Tribunalitio non auocandæ.

MAgno incommodo & iactura litigantium, nonnulli Clerici causas ad vltimum Iudicij gradum deductas, & supremam sententiam expectantes, intercipiunt, & temporaneis inscriptionibus, aut alijs instrumentis in fraudem confectis, productis, litem propè finitam inchoare compellunt. Quare vt & rationibus litigantium consulatur, & dolosa interuenientium temeritas & audacia reprimatur, statuit sacra Synodus, vt quicunq; Clericorum causam in Iudicio agitari cœptã, fraude & dolo interceperit, litemq; suam fecerit, carceri per integrum semestre mancipetur, & exinde dimissus ex Diœcesi etiam proscribatur. Non sine magno præiudicio Cleri, nonnunquam causæ in Iudicium Tribunalitium per appellationem deuolutæ, ad officium Illustrissimorum Dominorum Ordinariorum auocari solẽt; quod nè in posterum fiat, & cuiusuis iustitiæ non impediatur, seriò prohibet Synodus.

Inhibitiones à Iudicibus appellationum iuxta præscriptũ iuris extradendæ.

Cùm

CVm omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi, Diœceſanorum ſuorum ſint iudices Ordinarij, nec eorũ Iuriſdictio vllo modo imminuenda, turbanda, & impedienda ſit, ſtatuit ſacra Synodus, ac inuiolabiliter obſeruari vult, nè Iudices appellationum, Inhibitiones, niſi viſis Actis primæ inſtantiæ, & iuxta formã in Concil. Trid. & à Clemente VIII. ſeſſ. 24. cap. 20. de Reform: præſcriptum, ex Cancellarijs ſuis edi, & extradi iubeant, aut permittant; & aliter editis Inhibitionibus, impunè non pareatur. Acta autem Notarius Iudicis, à quo intra decem dies extradere teneatur, alioquin Iudex, ad quem vlteriùs procedet.

Incorporationes Eccleſiarum Parochialium ad Regulares.

CVm incorporationes Eccleſiarum Parochialium Regularibus Eccleſijs, plurimùm & Iuriſdictioni Epiſcoporum derogent, & curam animarum reddant neglectiorem; ſupplicandum cenſuit Synodus Regiæ Maieſtati, nè dictis Parochialium iuriſpatronatus ſui incorporationibus, conſenſum ſuum præbere, & iuſpatronatus donare cuiquam dignetur.

Atque ne curam animarum vllatenùs negligi contingat, Eccleſias Parochiales iuriſpatronatus quorum-

cunq; Sęcularium Regularibus vniendi, nullam deinceps potestatem habeant Ordinarij.

Limites inter Vilnensem & Smolenscensem Diœcesim designandi.

PLurimùm interest diuersas Diœceses certis finibus distingui, quare vt Illustrissimus Dñus Episcopus Vilnensis, suam Vilnensem à Smolenscensi Diœcesi dislimitari permittat, curet, & faciat, authoritate Synodi monetur; atque ad limites dictis Diœcesibus ponendos, Illustrissimus Dñus Episcopus Samogitiæ cum Capitularibus ex Capitulis, tam Vilnensis, quàm Smolenscensis Ecclesiarum, deputatur.

De Suffraganeis, Culmensi, Pręmisliensi, & Camenecensi.

SVpplicat præsens Synodus Sanctitati suæ, vt in erectione & expeditione Suffraganeatuum, Culmensis, Præmisliensis Ecclesiarum, ob amplitudinem earum Diœcesum, non difficilem se præbeat.

Causæ

Causæ Decimarum inter Clericos & Regulares, intra fines Regni decidantur.

NE Ecclesiæ præsertim Parochiales debitis fraudentur obsequijs, & pauper Clerus diuturnis ac imparibus vexetur exhauriaturque impensis, supplicat Synodus suæ Sanctitati, vt Causæ & lites inter Clerum sæcularem & Regularem, maximè ratione Decimarum in Iudicium deductæ, intra fines Prouinciæ decidantur, saluâ tamen appellatione ad Sedem Apostolicam.

De Vsuris.

GRaui cum suo dolore referri audiuit Synodus, nonnullos etiam Ecclesiastici Ordinis, atq; adeò Regularis obseruantiæ homines, fœnori dare pecuniam, & merè ex mutuo, prohibita & damnata, eaq; non exigua lucra, sine vllo conscientiæ scrupulo, pacisci & quærere; necessarium igitur censuit Synodus, omnes Christifideles admonere, Vsurarios grauissimo peccato, & à quo absolui non possunt, nisi restituerint, quidquid vltra sortem acceperint, sese obstringere; & si manifesti fuerint, ab Altari repelli, ac nisi resipiscant excommunicatos denunciari, ac demùm, Ecclesiasticâ priuari sepul-

turâ,

turâ, à ſacris Canonibus iuberi & decerni, quas pœnas vſuris & vſurarijs, & vetera Prouincialia ſtatuta propoſuerunt, & præſens proponit.

Ne autem per ignorantiam animas fidelium grauibus peccatorum & cenſurarum vinculis onerari & alligari contingat, ea peccatorum genera, in quibus & lapſus eſt procliuior, & animaduerſio Eccleſiæ rigidior, ſæpiùs animis & memoriæ imprimere & inculcare conuenit. Quare Capitula Concil. Triden. ſeſſ. 22. cap. 11. ſeſſ. 25. cap. 20. *contra occupantes quomodocunq; bona &c.* & ſeſſ. 24. cap. 8. *de Concubinarijs*, & Statuta Prouincialia *de foro competenti*, De vſuris & ſortilegijs, Dominicâ primâ Aduentus, & Quadrageſimæ, ac Bullam Cœnæ Domini, in Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & Regularibus Eccleſijs, publicari, mandat & præcipit Synodus, iuxta decretum Sac. Congregationis negotijs Epiſcoporum præpoſitæ.

Librorum approbatio, & Bibliothecarum reuiſio.

DE non imprimendis abſq; reuiſione & approbatione libris, ac reuidendis ad minùs ſemel in anno Bibliothecis, Bibliopoliſq; ſuſpectos & hæreticos libros vendentibus, renouantur antiqua Prouincialia ſtatuta Anni 1402. *de officio Ordinario*: ū lib. 1. & lib. 4. titulo *de Hæreticis* lib. 5. cap. 25. & 27.

Cùm

Cùm autem Excellens Dñus Andreas Petricouius I.V. D. libros ad vſum Eccleſiarum neceſſarios, quorum magna eſt iam penuria, Rituale ſiue librum Agendorũ, Pſalterium,& Conſtitutiones Synodales, operâ ſumptuq; ſuo impreſſerit, ac Antiphonarij editionem in dies promittat, indemnitati ipſius præcauendo, præſens Conciliũ prohibet, nè præter eius voluntatem& licentiam,vlli Typographorum prædictos libros, vel eorum compendia, imprimere, & Bibliopolarum diuendere, ad futuram Synodum Prouincialem, liceat. Quod ſi quis Typographus memoratos libros, aut eorum compendia, ſub cuiuſcunq; titulo Typis mandare, aut Bibliopola vendere, in quacunq; Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ Diœceſi, abſq; ſpeciali præfati Andreæ Petricouij permiſſu in poſterum præſumpſerit, pœnis in Conſtitutione Węzykouiana Petricouiæ ſancitis, authoritate præſentis Decreti, ſubiaceat.

Ne Clerici Seculares Regularibus Miſſam in ſuis Eccleſijs cantantibus miniſtrare audeant.

INter ſingularia & propria tam Secularium quàm Regularium Eccleſiarum decora & ornamenta, etiam hoc numerari poteſt & debet, vt ſui quiſq; Ordinis Mi-

 niſtris

nistris circa officia Diuina vtatur; quare quemadmodùm in Ecclesijs sæcularium sacrificanti solenniter sæculari Sacerdoti ministri non assistant Regulares, ita in Ecclesijs Regularium cantanti Missam Regulari ministrare non audeant Clerici sæculares, absq; licentia Loci Ordinarij vel Officialis, idq; sub pœna suspensionis ab exercitio Ordinum ipso facto incurrenda.

De absentibus à Synodo.

QVamuis pœnæ contra absentes, tam in Comitijs proximè præteritis, quàm Synodo præsenti, iuxta Constitutiones præteritarum Synodorū, præsertim Węzykouianæ in Synodo Varsauieñ sancitæ, decernendæ essent; benigniùs tamen cum illis procedens præsens Synodus, easdem ipsis indulsit & condonauit: nihilominùs tamen Constitutionibus supra recensitis innouatis, reassumptis, ac in suo robore & vigore, authoritate Concilij præsentis, conseruatis, roboratis: cum eaq; declaratione, quod si deinceps Illustrissimi & Rñdissimi DD. Archiepiscopi & Episcopi à Comitijs & Synodis, Reuerendissimi verò DD. Abbates à Synodis abfuerint, causasq; absentiæ legitimas iuramento probandas non dederint, & Nuntios non solùm ad comparendum, sed etiā recipiendum & approbandum ea quæ in Synodis constituentur & decernentur, non miserint, sciant pœnas in

Con-

Conſtitutione Węzykouiana expreſſas ſibi irremiſsibiliter ſoluendas fore; ad quod officium Inſtigator Synodaliter deputabitur. Inſuper ſi quem ordine inuerſo vocatum fuiſſe, vel debito in loco non ſediſſe, ſententiam tuliſſe, ſeſsionibus interfuiſſe, & alios quoſcunq; actus Synodo durante feciſſe contingit, nulli propterea præiudicium aliquod generari, aut nouum ius acquiri debere, declarat Synodus.

Porrò nè Reuerendiſsimi DD. Epiſcopi & Capitula, vllum abſentiæ ſuæ prætextum, aut indictæ Synodo contradicendi cauſam, vel occaſionem habeant, Conſtitutionem R̃ndiſsimi olim Ioannis de Laſco Archiepiſcopi Gneſnenſis, quâ modus indicendæ Synodi præſcribitur, Sacra Synodus reaſſumendam cenſuit, & reaſſumit.

Deputati ad reuidendas & corrigendas Conſtitutiones.

CVm nonnullos Illuſtriſsimorum & Reuerendiſſimorum Dominorum Epiſcoporum, vrgentibus & legitimis ex cauſis, abitũ Varſauiâ maturare neceſſe foret, nec ea quæ Synodaliter conſtituta ſunt relegere, & emendare liceret, Illuſtriſsimos & Reuerendiſsimos DD. ANDREAM SZOLDRSKI Poſnanienſem, ALEXANDRVM TRZEBINSKI Præmiſlieñ, ALEXANDRVM SOKOLOWSKI Kijouicñ, ANDREAM

LESZCZYNSKI Camenecensem, Episcopos, Illustrem & Adm̃ Rn̄dos ALEXANDRVM GLEMBOCKI Archidiaconum, SIGISMVMDVM CIELECKI Canonicum Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, IOANNEM TARNOWSKI Archidiaconum Cathedralis Cracouien̄ Capitulorum, Nuncios ad reuidendas, & ex mente Synodi corrigendas Constitutiones, vnanimi consensu Synodus deputauit.

Andreas Szoldrski
Episc. Posnanien.

Alexander Trzebinski
Episcopus Præmislien.
ViceCancell. Regni.

Alexander Glembocki
Archidiac. Gnesnen.

Sigismundus Cielecki
Præpos. Posnanien.

Alexander Sokolowski
Episcopus Kijouien.

Andreas de Lesno
Lesczynski Episc.
Camenecensis.

Ioannes Tarnowski
Archidiac. Crac.

Et ego Adamus Casimirus olim Simonis Oporowicz Archidiæcesis Gnesnensis Presbyter, sacrâ Authoritate Apostolicâ publicus atq; Curiæ Illustrissimi & Reuerendissimi Domini D. MATTHIÆ LVBIENSKI *Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopi Gnesnen. & Actorum Synodaliũ Notarius, suprascriptis omnibus Decretis, dum sic agerentur interfui, eaq; fieri vidi, audiui, scripsi, & ex Protocolo Actis & originalibus descripta, ac cum eisdem collationata & auscultata fideliter signo, nomine & cognomine solitis in fidem præmissorum communiui, rogatus & requisitus.*

MAT-

MATTHIAS ŁVBIENSKI
Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ
ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS,
Legatus Natus, Regni Poloniæ
Primas primusq; Princeps.

VNiuersis & singulis, præsentia Decreta & Constitutiones Synodi Prouincialis inspecturis, lecturis, & audituris, notum facimus & attestamur, Reuerendum Dominum Adamum Casimirum Oporowicz esse publicum & Actorum Synodalium fuisse Notarium, eiusq; scriptis & Instrumentis semper & vbiq; debere fidem adhiberi. In quorum omnium fidem easdem manu Nostrâ subscripsimus & Sigillo communiri iussimus. Datum in Palatio Nostro Skwiernieuicensi die vigesimâ primâ Martij, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo quarto.

Matthias Łubieński
Archiepiscopus Gnesnen.

Locus Sigilli

APPROBATIO.

NOs PETRVS ALOYSIVS Tituli S. Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Cardinalis CARAFA nuncupatus, nomine Sacræ Congregationis Eminentiſsimorum Cardinaliū Concilij Tridentini Interpretum, Fidem facimus & atteſtamur, Decreta Synodi Prouincialis Gneſnenſis in hoc libello deſcripta paginarum numero Triginta Trium: quarum prima incipit, Acta & Conſtitutiones; vltima verò deſinit, Matthias Lubienski Archiepiſcopus Gneſnenſis, Locus ſigilli, fuiſſe, vt ſupra ab eadem S. Congregatione Concilij emendata, recognita, atq; approbata, eorundemq; Decretorum originale apud eandem Sacram Congregationem remanſiſſe. In quorum fidem has propriâ manu ſubſcripſimus, & ab Infraſcripto eiuſdem S. Congregationis Secretario ſubſcribi, Sigilliq; Noſtri impreſsione muniri mandamus. Datum Romæ die x. Decembris M. DC. XLV.

Petrus Aloyſius Cardinalis Carafa.

Locus ſigilli.

Franc. Paulutius S. C. C. S.

Sequuntur

BREVIA APOSTOLICA, & Decreta, Episcopos & Clerum Regni Poloniæ & M. Duc. Lithuaniæ concernentia.

BREVE De soluendis Decimis per Regulares.

INNOCENTIVS PP. X.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

NVper pro parte Venerabilium Fratrum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nec non dilectorum Filiorum totius Cleri Regni Poloniæ, per dilectum etiam filium Matthæum Ioannem Iudicki Archidiaconum Pomeraniæ nuncupat. in Ecclesia Vladislauien, eiusdem Cle-

Cleri in Romana Curia Agentem, quod aliâs & ſub die decima ſeptima Iunij, Anni proximè præteriti, M. DC. XXXXV. in cauſa Decimarum eiuſdem Regni, à Venerabilibus etiam Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Sacri Concilij Tridentini Interpretibus, emanauit decretum, quod Nos ſubinde, ſub die XXXI. Menſis Iulij, eiuſdem Anni, in Conſiſtorio noſtro ſecreto approbauimus, tenoris qui ſequitur, videlicet. In cauſa Decimarum Regni Poloniæ, Die XVII. Iunij M. DC. XXXXV. Sacra Congregatio Eminentiſsimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, iterum atq; iterum, auditis Regularibus, & præcipuè Patribus Societatis IESV, eorumq; Iuribus, & priuilegijs maturè diſcuſsis, cenſuit, ab eiſdem Patribus, & alijs Regularibus, ſoluendas eſſe Parochis, & alijs Beneficiatis Regni Poloniæ decimas, quæ ſoluebantur à Laicis, priuſquàm bona in ipſorum Patrum, & aliorum Regularium proprietatem fuerunt tranſlata; firmis tamen remanentibus tranſactionibus deſuper factis. Quod decretum emanauit, præuiâ exhibitione factâ, ab ipſis Patribus, cui etiam Decreto poſteà conſenſerunt, prouti & Agens Cleri Regni Poloniæ. Die verò XXXI. Iulij M. DC. XXXXV. Sanctiſsimus Dominus Noſter, Eminentiſsimo Cardinali Præfecto referente, in Conſiſtorio approbauit. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, exponentes præfati decretum præinſertum, quo firmiùs ſubſiſtat, & exactiùs

obſer-

obſeruetur, Apoſtolicæ Noſtræ Confirmationis patrocinio communiri ſummoperè deſiderent. Idcircò Nos eoſdem exponentes ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à Iure vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, Supplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum Apoſtolicâ authoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, & omnes ac ſingulos, tam iuris quàm facti defectus, ſi quo deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus, ſaluâ tamen ſemper authoritate Congregationis eorundem Cardinalium, decernentes, præſentes Literas validas, firmas, & efficaces, exiſtere & fore, ſuoſq; plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus & ſingulis, quos illæ concernunt, inuiolabiliter & inconcuſsè obſeruari, ſicq; per quoſcunq; Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquàm quâuis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Dilecto filio Noſtro, & Sedis

Apoſtolicæ in eodem Regno pro tempore commoranti Nuntio, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſe, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes Literas & in eis contenta, quæcunque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte exponentium præfatorum, ſeu alicuius eorum deſuper requiſiti fuerint, ſolenniter publicatis, eiſq; in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtens, faciat, authoritate Noſtra illos præmiſſorum omnium commodo & effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes, illos deſuper à quoquam quâuis authoritate quomodolibet moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſsis non parentes, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna Iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimiſq; ſuper his habendis, ſeruatis Proceſsibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauañ. Inuocato etiam ad hoc, ſi fuerit opus, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, de vnà, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis authoritate præſentium in Iudicium non trahatur, alijſq; Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non ipſius Societatis, aliorumq; Regularium Ordinum, etiam Iuramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel aliâ quâuis firmitate, roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; & indultis, & literis

Apostolicis, ipsi Societati, alijsq; Regularibus Ordinibus, seu Institutis præfatis, illorumq; Domibus etiam Professis, Collegijs, Monasterijs, & alijs locis Regularibus, sub quibuscunq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficatioribus & insolitis clausulis, irritantibusq;, & alijs decretis in genere, vel in specie, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illorum eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idē importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret; illorum omnium & singulorum, tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus. Cæterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctū Petrum sub Annulo Piscatoris, Die 21. Februarij M.DC. XXXXVI. Pontificatus Nostri Anno secundo.

M. A. Maraldus.

BREVE
De publica Sanctissimi Sacramenti expositione, & Processionibus cum eodem per Regulares faciendis.

INNOCENTIVS PP. X.
Ad futuram rei memoriam.

ALiàs à Venerabilibus Fratribus Nostris Sac. R. E. Cardinalibus, Sacri Concilij Tridentini Interpretibus, emanârunt decreta tenoris sequeñ, videlicet. Sacra Congregatio, Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, sæpiùs censuit, non licere Regularibus, etiam in proprijs Ecclesijs Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentũ publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ sit probata ab Ordinario, ex causa autem priuata posse, dummodò dictum Sacramentum, à tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ita vt ipsa hostia videri non possit. Sacra Congregatio Eminentissimorũ Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum sæpiùs censuit. Processionem tantùm SS. Corporis Christi solennem, debere Episcopũ permittere, vt Regulares extra Claustrũ per

per viam Ecclesiæ Monasterij, seu Conuentus contiguã, posſint habere. Sacra Congregatio Eminentiſsimorũ Cardinalium Concilij Tridentini Interpretũ, sæpiùs censuit, Regularibus & Confraternitatibus in Ecclesiis Regularium esse permissum, intra eorum Ecclesias, & Claustra tantùm Processiones facere, & non extra; si verò Ecclesiæ Claustro careant, eisdem Regularibus, & Confraternitatibus, licere processiones facere, intra ambitũ duntaxat earundem Ecclesiarum, hoc est propè muros Ecclesiæ, siue exeundo à ianua Ecclesiæ, & intrando per aliam, siue per eandem ianuam, & semper propè muros Ecclesiæ, & non extra dictum ambitum, nisi de licentia & consensu, & cum Cruce Parochi. Non obstantibus quibuscunq; consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus, ac priuilegijs, excepiis tantùm Priuilegijs Apostolicis, Sacro Concilio Tridentinò posterioribus, contrarium desuper disponentibus. Cùm autem, sicut Nobis nuper pro parte Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum & Episcoporum Regni Poloniæ expositum fuit, ea firmiora sint, quibus Apostolicæ Confirmationis robur accedit, & propterea dicti Archiepiscopi, & Episcopi, quò decreta huiusmodi, & contenta in illis exactiùs in eorum Ciuitatibus & Diœcesibus, obseruentur, authoritate Nostrâ confirmati, summoperè desiderent. Nos inuiolabili eorundẽ Decretorum obseruantiæ, quantùm cum Domino possumus consulere, dictosq; Archie-

piſcopos & Epiſcopos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, à quibuſuis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quâuis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Decreta præinſerta cum omnibus & ſingulis contentis in illis, Apoſtolicâ authoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes & ſingulos tam iuris quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus, illaq; ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit, quomodolibet in futurum inuiolabiliter, obſeruari præcipimus & mandamus, ſaluâ ſemper authoritate præfatæ Congregationis Cardinaliũ. Decernentes ſic & non aliter, in præmiſsis, per quoſcunq; Iudices Ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit, attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in vniuerſalibus Prouincialibuſque & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecia-

cia-

cialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quibusuis etiam Iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, & aliis quæ in præinsertis decretis decernuntur non obstare. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expresis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum duntaxat specialiter & expresè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, Die xx. April. M. DC. XXXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

M. A. Maraldus.

LITERÆ Ab Eminentissimo Petro Aloysio Cardinali Carafa, ex parte Metropolitani per Illustrissimum & Rñdm̄um D. Episcopum Varmiensem eligendi, ad Illustr̄m̄um Nuntium Apostolicum directæ.

PErillustris & Reuerendissime Dñe, vti Frater. Cùm S. Tridentini Concilij Decretis cap. 2. sess. 24. de Reform: caueatur, vt Episcopi qui nulli Archiepiscopo subiiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cuius Synodo

do Prouinciali cum aliis interesse debeant, quæ ibidem ordinata fuerint, obseruaturi, Ampl: Tua efficiet, vt Episcopus Varmiensis, iuxta præsentis decreti formam Metropolitanum sibi eligat, in cuius Prouinciali Synodo cum aliis intersit. Cùmq; Archiepiscopus Gnesneñ vicinior esse perhibeatur, omni iure videtur, is ab eo eligendus; præstabit id Ampl: Tua, pro consueta pietate & vigilantia sua, quem de cætero incolumem diu postulamus. Romæ die 13. Iunii 1646.

Amplitud: Tuæ

vti Frater studiosus

Petrus Aloysius Cardinalis Carafa.

Gratis etiam quoad scripturam.

Franciscus Paulutius S. C. C. Secretarius.

A tergo.

Perillustri & R̃ndissimo Domino vti Fratri, Dño Archiepiscopo Adrianopolitano Nuntio Apostolico.

DECLA-

DECLARATIO
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ,
Ex parte Gratiarum per Illustrissimos Dominos Archiepiscopos & Episcopos Regni, personis Capitularibus benemeritis dari solitarum, per Illustrissimum & Rñdissimum D. Nuntium Apostolicum feliciter modernum facta.

IN nomine Domini, Amen. Die vigesimâ tertia Iulii 1646. Cracouiæ. Coram Illustrissimo & Rñdissimo Domino D. Ioanne de Torres Romano Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Adrianopolitano S. D. N. D. INNOCENTII Diuina prouidentiâ Papæ X. Prælato Domestico & Assistente, ad Serenissimum VLADISLAVM IV. Poloniæ & Sueciæ Regem potentissimum, cum facultatibus Legati de Latere Nuntio Apostolico. Comparens Perillustris & Adm̃ R. D. Ioannes Matthæus Iudicki Archidiaconus Pomeraniæ Gnesneñ Canonicus, & S. R. M. Secretarius, & pro Confirmandis Actis Synodi Prouinciæ Gnesneñ ad S. D. N. deputatus Nuntius, ac Venerabilium Capitulorũ Regni specialis Mandatarius,

exposuit se S. D. N. nomine & pro parte Capitulorum Metropolitanæ, & Cathedralium Regni huius supplices libellos porrexisse, quatenùs Sua S. benignè & paternè Capitulis prædictarum Cathedralium prouidere dignaretur, declarando Constitutionem sanctæ mem: Vrbani VIII. super præseruatione Iurium Ecclesiarum, quintâ Iunij 1641. editam, Regni huius Capitula non afficere, obtinuisseq; negotium hoc declarationis expedieñ, per Sac: Eminentissimorum DD. Cardinalium Sac: Concil: Trid: Interpretum Congregationem, Suæ Illustriss: Cels: committi, prout commisit per literas, quas hîc exhibet & producit tenoris sequentis, videlicet. Foris. Perillustri & Rñdissimo Domino vti Fratri, Dño Archiepiscopo Adrianopolitano Nuntio Apostolico in Regno Poloniæ. Varsauiam. Locus ✠ Sigilli. Intùs verò. Perillustris & Rñdissime Dñe vti Frater. Remissa à S. D. N. ad hanc Sac: Congregationem Eminentissimorum Cardinalium Concil: Trident: Interpretum, petitio Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium istius Regni, pro declaratione obtinenda, quod per Constitutionem S. mem: Vrbani Papæ VIII. super præseruatione iurium Ecclesiarum editam quintâ Iunij 1641. incipieñ. Romanus Pontifex non censeatur derogatum antiquissimæ consuetudini, vltra ducentos annos eiusdem Regni, quòd Episcopi, vel alij Prælati possint Canonicis & personis Capitularibus benemeritis de eorum Ecclesijs vel personis, quædam bona

con-

consueta concedi, de proprjis Mensis, ad vitam ipsarum personarum concedere, non requisito beneplacito Apostolico, sed de Capitulorum tantùm consensu. Eminentissimi Patres Amplitudini Tuæ significari censuerũt, vt verificatis expositis, nimirùm, quòd à ducentis & ampliùs annis consueuerint per Episcopos & Archiepiscopos de consensu Capitulorum fieri concessiones supradictorum bonorum, quæ concedi fuit consuetum ad Mensas Episcopales & Archiepiscopales spectãtium, obtinentibus dignitates aut Canonicatus ad eorũ vitam, quodq; dictum solitum nõ fuerit alternatum, & concurrant seruitia per eosdẽ vt præmittitur præstita ipsis Ecclesijs, declararet Constitutionem prædictam huiusmodi concessionibus non obstare. Et Deus Ampl: Tuam propitiam tueatur. Romæ die 5. Maij 1646. Ampl: Tuæ vti Frater studiosus Petrus Aloysius Cardinalis Carafa. Franciscus Paulutius S. C. C. Secretarius. petens ad exequutionem debitam prædictæ Commissionis procedi. Et Illustrissimus ac Rñdissimus D. Nuntius Apostolicus antedictus, prædictas Commissionis literas omni quâ decuit reuerentia recepit, & obtulit se ad earundem exequutionem deuenire Varsauiæ, quatenùs requisita omnia in dictis literis contenta sufficienter iustificentur. Varsauiæ Die 24 Septembris 1646. Coram quo supra comparens supradictus D. Iudicki, & nomine Capitulorum Regni institit pro exequutione dictarum literarum, prout supra,

produxitq́; ex Actis Capitulorum, Gnesneñ, Cracouieñ, Vladislauieñ, Posnanieñ, & Ploceñ, quædam Instrumenta authentica concessionum, diuersis personis Capitularibus à ducentis ab hinc annis, per diuersos Illustrissimos & Rñdissimos DD. Archiepiscopos & Episcopos Regni, sine beneplacito Apostolico factarum, petens ea admitti, pro veris recognosci, & ad declarationem iuxta tenorem dictæ Commissionis procedi, omni meliori modo. Et Illustrissimus ac Rñdissimus D. D. Nuntius Apostolicus & in Causa Iudex deputatus, visis, lectis, ac benè trutinatis prædictis Instrumentis, vt supra productis, & accepta sufficienti informatione verbo & per Epistolas, tam ab Illustrissimo & Rñdissimo Dño Primate Regni huius, quàm ab Illustrissimis & Rñdmis DD. Cracouieñ, Posnanieñ, Ploceñ, alijsq́; Episcopis Regni, sibi communicatas, super eo, videlicet, quod à ducentis & ampliùs annis consueuerint per Illustrissimos & Rñdmos Archiepiscopos & Episcopos Regni de consensu tantùm Capitulorum, non adhibito beneplacito S. Sedis Apostolicæ, intuitu meritorum & seruitiorum, concessiones bonorum, Decimarum, quæ vulgariter gratiæ nuncupantur, fieri, & quod hucusq; continuè sine vlla alteratione concurrentibus seruitijs obtinentiũ, prædictæ concessiones fiant, prædictam huiusmodi Constitutionem S. m. Vrbani VIII. prædictas Ecclesias Metropolitanam & Cathedrales, Gnesneñ, Cracouieñ, Vladislauieñ, Posnanieñ, & Ploceñ, ali-

aliasq; personas Capitulares eorundem Capitulorum, in quibus consuetudinem præfatam à ducentis & ampliùs annis continuò & inuiolabiliter vigere sufficienter probatum & deductum est, afficere non potuisse, nec posse, authoritate prædictâ Apostolicâ sibi commisâ declarauit, ac eandem declarationem, vnà cum literis commissionis, quas hîc inseri voluit, publicari & obseruari mandauit, & ita decreuit &c. Omni &c.

Joannes Archiepiscopus Adrianopolitanus Nuntius Apostolicus ita declaraui.

Visa Jacobus Elephantuccius Auditor.

Titus Lucianus Notarius & Cancellarius.

Quam quidem copiam, ego Titus Lucianus Asculanus publicus Apostolicâ Imperialiq; authoritate Notarius, ad præsens Curiæ Causarum Illustrisimi & Reuerendiss: Dñi Nuntij Apostolici Cancellarius, ex suo proprio Originali extraxi manu D. S. Illustrmæ subscript. cum quo collationaui, & in fidem præmissorum hîc me subscripsi

Locus Signi.

& publicaui requisitus, sub Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Sexto, Indictione XIV. die verò vigesimâ sextâ Septembrls. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Innocentij Diuinâ prouidentia Papæ X, anno eius Tertio.

IOANNES de TORRES Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Adrianopolitanus in Regno Poloniæ Magnoq; Lithuaniæ Ducatu Nuntius Apostolicus.

FIdem facimus & attestamur, supradictum Titum Lucianum nostrum Notarium & Cancellarium talem esse qualem se fecit, eiusq; publicis scripturis in Iudicio & extra semper adhibitam fuisse, ac de præsenti plenam adhiberi posse fidem. In quorum testimonium, &c. Varsauiæ 26. Septembris 1646.

Locus Sigilli

BVLLA

S. D. felic. record. VRBANI Papæ VIII.

Constitutio circa formam & habitum Sacrarum Imaginum.

VRBANVS PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

SAcroſancta Tridentina Synodus optimè agnoſcens, non leue ſcandalum afferre poſſe, ſi quid inordinatum, aut præpoſterè accomodatum, vel prophanum in Eccleſijs appareat, ſtatuit nemini licere vllo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam imaginem ponere, vel ponendam curare, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit. Cùm autem ſicut accepimus, ex prædicti decreti obſeruantia varij abuſus irrepſerint; Idcircò Nos abuſus huiuſmodi tollere, pro debito Paſtoralis officij Noſtri volentes, re etiam cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Sacris ritibus Præpoſitis communicata, & maturè conſiderata, & diſcuſſa, inhærendo dictæ diſpoſitioni Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi, motu proprio, & ex certa ſcientia Noſtris, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ne quis cuiuſcunque gradus, qualitatis, Ordinis, ſtatus, vel conditionis, ac dignitatis, & præeminentiæ, etiam Eccleſiaſticæ, etiam indiuidua ac ſpeciali expreſſione dignæ exiſtat, Imagines Domini Noſtri IESV CHRISTI, & Deiparæ Virginis MARIÆ, ac Angelorum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum,

rum, aliorumq; Sanctorum, & Sanctarum quorumcunque sculpere aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut antehac sculptas aut pictas, & aliàs quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire, cum alio habitu & forma, quam in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consueuit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, tenore præsentium prohibemus: ac vt imagines aliter pictæ vel sculptæ, ab Ecclesijs, & alijs locis quibuslibet amoueantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum & formam in Ecclesia Catholica & Apostolica ab antiquo tempore consuetam, vt veneratio & cultus sic dictis imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium subijciuntur, non inordinata, nec insolita appareant, sed deuotionem pariant & pietatem. Et nè exponantur in Ecclesijs quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earũ frontispicijs, & Atrijs imagines prophanæ, vel aliàs indecentiam & inhonestatem præseferentes, cùm Domum Dei deceat sanctitudo, præcipimus. Quocirca quibuscunque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs, ac Nostris & Apostolicæ Sedis Nuncijs & Legatis, etiam de latere, sub obtestatione diuini Iudicij mandamus, vt prædicta inuiolabiliter & exactè obseruent; Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Maiorum, ac Vniuersitatibus etiam studiorũ,

Mona-

Monasterijs, ac Collegijs, & personis quibuscunque, etiã Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus cuiuscunque Ordinis, etiam Cistercien̄, Instituti, Congregationis, & Societatis etiam Iesv, etiam Militaribus, etiam Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, aliarumq; Militiarum, & cæteris quibuscunque, quomodolibet qualificatis, ac eadem indiuiduâ expresśione, & speciali notâ dignis, ac Monialibus etiam Regularium gubernio subiectis, ac etiam Sedi Apostolicæ immediatè suppositis, vt in eorum Ecclesijs, & locis, omnia & singula præmissa obseruent, & obseruari faciant. Quatenùs verò ipsi pręsertim Regulares, ac Moniales, præsentibus Litteris, ac omnib9 in eis contentis parere neglexerint, pośsint & debeant Episcopi, & Locorum Ordinarij, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncij, & Legati Apostolici de latere miśsi, tanquam in hoc à Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes & singulos prędictos, & quoscunq; alios quomodolibet inobedientes, & transgressores procedere, & quacunque appellatione, recursu, reclamatione, alijsq; Iuris facti remedijs ordinarijs & extraordinarijs, penitùs & omninò remotis, ad omnimodam obseruantiam illos, præuiâ vnicâ monitione, Censuris Ecclesiasticis, & alijs eorum arbitrio, & præsertim quoad loci superiores, etiam priuationis officij, & vocis actiuæ & pasśiuæ pœnis compellere; præsentes quoque literas, & in eis contenta quæcunque, nullo vnquam

tempore, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quocunq; alio etiam quantumuis substantiali defectu notari, impugnari, vel redargui posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces, existere, & fore, suosq; plenarios effectus, sortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inuiolabiliter obseruari, sicq; & non aliter in præmissis per quoscunq; Iudices Ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos nunc & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi seu interpretandi, facultate, & Auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his, à quoquam quâuis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus fel: record: Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, alijsq; Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, in fauorem etiam personarum atq; Ordinum quorumcunque, etiam Cistercieñ, ac tam mendicantium, quàm non Mendicantium, Militarium, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, etiam IESV, ac cuiusuis alterius Instituti, etiam necessariò & indiuiduè exprimeñ, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorũ, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque, tam sæcularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum etiã

iura-

iuramento, Confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quauis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, conseruatorum deputationibus, eorumq; atq; alijs inhibitionibus, quibus Episcopi, & alij Ordinarij, & Superiores prædicti deferre minimè teneantur, & quibusuis alijs sub quibuscunq; tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis haben͂, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Et nè præmissorum ignorantia posit ab aliquo prætendi, volumus & Apostolicâ Au-

ctoritate decernimus, vt præsentes literæ, seu illarum exemplum ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum Vrbis, ac in acie campi Floræ affixæ, omnes perinde arctent, atque afficiant, acsi vnicuique personaliter intimatæ fuissent, quodq; præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Martij M. DC. XXXXII. Pontificatus Nostri Anno Decimo Nono.

M. A. Maraldus.

Die 16. Iunij 1642. supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, & in Acie Campi Floræ, ac alijs locis solitis & consuetis Vrbis, per Dominicum Mangilium S. D. N. Papæ Cursorem.

Pro Magistro Cursorum Dominicus Mangilius Curs.

ROMÆ, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ, M. DC. XXXXII.

DE-

DECRETVM
S. CONGREGATIONIS RITVVM, In Cauſa Polocen̄, Beatificationis & Canonizationis Beati Martyris Iozaphat Archiepiſcopi Polocen̄ Ordinis S. Baſilij Magni.

COmmiſſa dudum à Sanctiſsimo D. Noſtro Vrbano Diuinâ prouidentiâ Papa VIII. Sacræ Rituum Congregationi, ad inſtantiā Sereniſsimorum Poloniæ & Sueciæ Regum, Sigismvndi III. & Vladislai IV. necnon ad ſupplicationem Metropolitanorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Palatinorum, Principum, ac vniuerſi Cleri, & Populi Catholici Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ, ac totius Ruſsiæ, nec non Venerabilis Ordinis Monachorum S. Baſilij Magni, cauſa Serui Dei Iozaphati Archiepiſcopi Polocenſis eiuſdem Ordinis S. Baſilij pro Chriſti nomine, & fide Catholica, & pro ſancta potiſsimùm vnione cum Eccleſia Romana, Vitepſci in Ruſsia Alba, 12. Nuembris 1623. à Schiſmaticis trucidâti: illaq; deinde per plures annos per eandem Sacrā Congregationem, ſeruatis ſeruandis diſcuſſa, & examinata;

nata; auditis desuper etiam Theologis, Consultoribus, & Sanctæ fidei Promotore. Post obtentam priùs ab eodem Sanctissimo D. N. sub die 27. Ianuarij 1629. specialem derogationem decreti Sanctitatis suæ, de non procedendo in causis Seruorum Dei, ad effectum Canonizationis, & Beatificationis aut declarationis Martyrij, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illorum. Et præuiâ sub die 2 Martij 1641. eiusdem Sanctissimi licentia, ad vlteriora in huiusmodi causa, in Congregationibus ordinariis procedendi, Referente Eminentissimo & Rñdissimo Dño Ioanne Baptista tituli Sancti Eusebii S. R. E. Presbytero Cardinali Pamphilio nuncupato, proposita: Eadē Sacra Rituum Congregatio die 2. Martij 1641. censuit constare de validitate Processuum. Die verò 13. Septēb. 1642. constare de Martyrio, & causa Martyrii. Die demùm 22. Nouembris eiusdem anni, constare etiam de miraculis. Ideoq; Sacræ Congregationi videtur, si Sanctissimo D. N. placuerit, posse dictum Seruum Dei Iozaphatum Beatorum Martyrum Cathalogo adscribi, & ad solemnem ipsius Canonizationem quandocunq; deueniri. Interim verò donec ad ipsam Canonizationem deueniatur, visum pariter fuit facultatem concedi posse, vt de eodem Martyre, ab omnibus Monachis Ordinis S. Basilij vbiq; terrarum existentibus, nec non in omnibus Ecclesiis Dioecesis & Prouinciæ Polocensis, ac totius Metropolis Russiæ à quibuscunq; Sacerdotibus, tam sęcularibus,

quàm

quàm Regularibus, Die Natalis ipsius 12. videlicet Nouembris, Officium, & Missa de Communi vnius Martyris Pontificis recitari respectiuè ac celebrari valeat, iuxta Rubricas Breuiarii, & Missalis Romani, nec non Græci, seu Rutheni ab Apostolica Sede approbati. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctissimus D. N. per me Secretarium ad se relatam, præsente ibidem Sanctæ fidei Promotore, die 14. Decemb. 1642. laudauit, & approbauit, & Breue desuper in forma expediri mandauit.

Julius Episc: Tusc: Card: Sabellus.

Loco ✠ Sigilli.

C. Paulutius S. Congr: Rit: Secr.

ROMÆ, Ex Typographia Reuer. Cameræ Apostolicæ 1642.

De mandato Illustrissimi & Reuerendissimi Domini D. MATTHIÆ LVBIENSKI, *Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopi Gnesnensis, Legati Nati, Regni Poloniæ Primatis, Primiq; Principis: Breuia, Bulla, & Decreta suprascripta, ex suis originalibus descripta, per me Notarium infrascriptũ sunt collationata, in fidem & testimonium præmissorum.*

Ita est: ADAMVS CASIMIRVS OPOROWICZ *Sacrâ authoritate Apostolicâ Publicus, atq; Actorum Curiæ suprascripti Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Gnesnensis Notarius, m.p.*

SERMO Illustrissimi & Reuerendissimi Domini, ARCHIEPISCOPI in Synodo.

Attendite vobis & vniuerso gregi. Act. 20.

AVxiliante DEO, Prouincialem exordimur Synodum, Illustrissimi Dñi EPISCOPI, vosq; cæteri Consacerdotes & Fratres Charissimi, non alio animo, quàm vt ex hoc nostro Conuentu Catholica religio augmentum, disciplina Ecclesiastica vigorem, vitia finem, virtutes propagationem nanciscantur. Si in his peragendis, omnis labor, & industria nostra versabitur, profectò munus nostrum imple-

 bimus,

bimus, riteq; nobis & vniuerso gregi, quod Apostolus monet attendemus. Sibi quidem attendere facilius est, ita enim omnes mortales naturâ sunt comparati, quod in omnibus actionibus libentiùs ea quæ ad proprium commodum quàm quæ ad proximi vtilitatem spectant procurent, sed attendere proximo, attendere gregi, diu noctuq; pro eius salute excubare, hoc magnum arduum, & maximè, Pastoralis proprium est charitatis, quâ si Pastor caret, minimè officio suo satisfaciet. Hinc Sanctus Chrisostomus rectè monet, eos tantummodò ad Præfecturas Ecclesiæ euehendos, qui tantum Charitate aliis antecellunt, quantum corporis magnitudine Saul reliquum populum cùm in Regem eligeretur superauit. Erat autem (inquit Scriptura) ab humero & sursum omnibus excelsior. Fieri enim non potest vt Chri-

1. Reg. 9.

ſti officio benè fungatur, qui Chriſtum, præ cæteris non diligit. Videmus etiam tam in veteri quàm in nouo teſtamento illos à Deo ad Paſtorale munus vocatos in quibus futuræ in Deum & proximum Charitatis indicia eluxerunt. Petrus poſt percuſſum Malchum gladio factus Paſtor Eccleſiæ, Moyſes poſt percuſſum Ægyptium, quem abſcondit in ſabulo, factus eſt Rector Synagogæ, Pauli ſæuitia Eccleſiam perſequentis, ſyluestre erat vitium, ſed magnæ fertilitatis, vti S. Auguſtinus ait indicium. Vtinam verò eiuſmodi charitatem DEVS in nobis præuiderit, cùm ad formidandam Paſtoralem curam vocauit. Nunc certè an Chriſtum præ cæteris diligimus, amor noſter in proximum, amor noſter in commiſſum nobis gregem documento erit. Inter varia Paſtoris officia, duo ſunt potiſſima; vnum ſingulis ouibus conue-

 niens

niens pabulum dispertiri, alterum lupos ferasq; omnes à grege nostro arcere. Exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, pabulum ouium est, dehortari à vitiis, verbo, exemplo, ad virtutes incitare, nutrimentum ouium est, prædicare Euangelium, administrare Sacramenta, alimentum singulis ouibus est accommodatissimum. Et quanquam nonnulla horum nosmetipsi interdum propter publicas occupationes agere non valemus, attamen ex permissione Sacrorum Canonum per alios ea perficere licitum; Circumdat enim hanc Reginam Assistentem à dextris Dei, hoc est Ecclesiam militantem varietas, nimirum tot cætus diuersorum Religiosorum, tanta frequentia Sacerdotum, ex quibus socios laborum nostrorum cùm volumus assumimus. Custodiam ouium à lupis & feris quod at-

tinet, profectò non possum absq; dolore intueri diram hæresim vno iam sæculo oues nostras in hoc regno infestantem. Fera ista pessima tot filios deuorauit, quorum interitum & iacturam quotidie deplorat Mater Ecclesia. Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filios populi mei? Diu iam maiores nostri satagebant, de reducendis errantibus in hoc amplissimo Regno ouibus ad Christi ouile, & quiuis nostrum pro virili id præstare conatus est: nunc quoq; hæc pars erit præsentis nostri consilij, vt cùm nostram in Christum Saluatorem charitatem monstremus, tum proximis nostris paternæ pietatis & solicitudinis viscera aperiamus. Te Pastorum Princeps CHRISTE IESV supplices oramus, vt conatus hos nostros prosperare digneris, & corda no- *Hierem 9.*

ſtra cæleſti charitate inflammes quatenus Tui Veri Paſtoris, imitatores effecti, ita munus noſtrum impleamus vt ſupremam rationem factorum noſtrorum, & commiſſarum nobis animarum Tibi reddituri verè dicere poſſimus. Quos dediſti mihi non perdidi ex iis quenquam.

Ion. 18.

AMEN.

ORATIO

Adm. R. D. Andreæ Trzebicki Canonici Gnesnen. & Scholastici Plocensis in eadem Synodo habita.

Et aperiens Noë tectum Arcæ, aspexit viditq; quod exsiccata esset superficies terræ. Genes. 8, 13.

SI testimonio sapientis sua omnibus negotijs tempora sunt & opportunitates. *Eccl. 8. 6*
Illustrißimi & Rñdißimi Præsules, Perillustres, Illustres, & Adm̃ Rñdi Dñi, certè hoc, quo præsentẽ auspicamur Synodum tale est, vt cuilibet primum & præcipuum omnipotentiæ beneficentiæque Dei monumentum, sub idem anni tempus defixum spectanti, nullum aliud hodiernæ celebritati videri poßit accommodatiùs. Còegisti enim Illustrißime & Reuerendißime Primas, mutuo amplißimorum Patrum consilio, sacrum hunc consessum, decurrenti & præcipiti iam autumno, vniuerso generi hominum vel ideo læto, ac ad ardua quæq; inchoanda bene ominato, quod olim Summus rerum opifex, & molitor Deus, cum per autumnum, hanc totius orbis machinam ex nihilo *Petau. in Rat. temp. p. 2. lib. 2. cap. 2.*

Gen. ca. 7. hilo condidisset, eandemq; in ipso iuuentutis flore,
Petau. velut iuuenili ardore ferocientem ingenti aquarum
ibidem. vi deleuisset; tandem prodigiosæ calamitati sub au-
Cel. ap. tumnū, fine imposito perditum mundū itidem au-
Corn. à tumno restaurauit: cum Dominico die, mense
lap. c. 7. ineunte Decembre, vt scripturæ loquar verbis Mē-
in Gen. se secundo, septimo & vigesimo die mensis, arefa-
Petau. ibidem. cta terra exiguas humani generis reliquias, ex Arca
Gen. 8. 14 in terram, ex carcere in lucem euocauit. Egredere
de Arca, tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum
ibid. v. 16 tecum. Itaque pulcherrima imitatione factum,
facto, humanum Diuino tempori tempus, dies diei
consonat: nimirum sic æterna ordinante Prouidē-
tia, vt qua mundus vniuersus anni tempestate crea-
tus fuit, eadem noster Septemtrionalis vitijs fati-
scens, & hæresi discors, pastorali Vestra Patres Am-
plissimi prudentia recreetur, simulq; per quod tem-
poris Nòèmitica Arca extra periculi aleam consti-
tit, per idem de nostræ Arcæ, Christiano inquam,
Catholicæ in Polonia Ecclesiæ, bono & salute deli-
beretur. Hanc Arcam in alto huius mundi varijs
iactatam fluctibus, liceat mihi per Vestram benigni-
tatem Patres Amplissimi aliquantum contemplari,
vt inde præcipuæ Sacerdotalis officij partes clariùs
elucescant. Admirabilem Ecclesiæ militantis spe-
ciem, varietatem in ea ordinū, ancipites casus, quo-
ties

ties mecum attentius contemplor, venit semper in mentem Arca illa Nóëmi Ecclesiæ Christi multis omninò proxima. Illius caput Nóë, huius Christus, illa multis mensibus vi fluctuum huc illuc errabunda ferebatur, nec naufragium passa est, hæc multis sæculis fluctuat, nec mergitur, illa septena hominũ capita ab interitu vindicata circumtulit, terræque reddidit, hæc innumeras animarum cœlo infert myriades. Verum duo imprimis vt in cæteris quibusq; corporibus siue à natura, siue ab arte confectis, ita & in Arca consideranda se se offerunt, communia illa, & à Philosophis omnibus vulgò considerari solita forma & materies. Materiem certè non vulgaria & obuia vbique ligna, sed cedros Deus selegit. *Gen. 6.* Cedros nimirum quas cum suo Regio, tum Diuino templi Hierosolymitani ædificio, & Regum ditissimus & hominum sapientissimus Salomon à Libani iugis, à Tyri portubus postulauit. Quid porrò aliud Cedrus, quàm sanctitatem, æternitatem, beneficentiam, pietatem denotat. Vt enim illa non carie absumitur, non à tinea corroditur, non vetustate putrescit, & vel mortuis animandis sufficere credita est, adeoque vita mortuorum dici meruit: sic sanctitas nulli vicissitudini obnoxia, vim florem q; suum æternum obtinet, & quod naturâ caducum & fragili alioquin rueret, conseruat in-

14. Cor. à lapid. ibidem. S. Aug. lib. 4. q. 85. ad Oros. Plin. Discor. Plin. lib. 16. c. 39.

colume. Quidquæso æquè fragilè, quid caducum adeò sol vidit vnquam, vt infamem illam, illam omnis turpitudinis sentinam, imperij dignitate
Gen: 18. principem, flagitio & pænâ sociã, in Pentapoli Sodo-
20. mam. Atque hæc licet in fædißimo grauißimorũ post hominum memoriam scelerum cæno volutaretur, iamque fato vrgeretur suo, ab hospite tamen supplicii exactore Angelo sancto pro ea deprecante Abrahamo, seruata fuisset, forte & hucusq; stetisset, & deinceps staret, si infinitæ bonitatis infinitam offensam, denario saltem sanctorum incolarum
Dan. 5. numero sarcire vtcunque valuisset. Enimuero postea quam posita in statera inuenta est minus habens
Isaiæ 5. Radix eius vertit in fauillam, hucusque in fucatis
24, infelicis soli pomis perennantem, æterno formidandi cunctis exitij testimonio. Clarißimum itaq; est, quis sit Regnorum, Prouinciarum, Vrbium murus sanctimonia, quantamque Deus, in Sacerdotibus, & Præsidibus Ecclesiæ, qui huius nouæ arcæ pars sunt præcipua requirat sanctitatem. Si enim nulla tam vilis Arcæ Nöemiticæ pars fuit, quam non cedrina nobilitaret materies, equidem non potuerunt nobiliores eiusdem ædificii partes ignobiliore materiâ vilescere. Iam adde quod illam diluuii arcam, non è rudibus & impolitis sed exasciatis lignis fabricandam Deus Opt. Max. mandauit.

Fac

Fac tibi (inquit) arcam de lignis læuigatis; scilicet id manifestum est ad posteros exactæ & consummatæ cùm in aliis, tum præsertim in Sacerdotibus virtutis, atq; sanctimoniæ præceptum. Possunt in ipsa Sanctitatis cedro esse, quidam hiatus, quædam protuberationes, valles quodam modo & montes, possunt inflexiones, siue dextrorsum, siue sinistrorsum, possunt asperitates. Sed dolanda est cedrus, etiam atq; etiam læuiganda, vsq; adeò vt & omnis vallis impleatur, & omnis mons humilietur, praua sint in directa, aspera in planas vias, & demum ex ea ita dolata, dedolata, complanata, læuigata moles pulcherrima Christianæ Arcæ consurgat. Quod si nulla pars prætereunda est, quin ab ea quod superfluum est abscindatur, quod deficiens compleatur, quin splendenti quadam læuitatis forma latus omne vestiatur, Vos certè partes id vobis magis dictum æstimate, quæ magis eminetis. Quod enim in aqua latet, quod reconditum est, ideò minùs offendit oculos, quia minus incurrit in eosdem. Porro si eiusmodi sanctimonia postulatur, quantum abesse debent à nobis crimina, quãtum nos ab illis. Diu, diu suam Deus promulgauit legem, diu manifestum fecit, quibus vitiis obnoxios, mundissimi altaris ministerio arceret. Loquere inquit ad Aaronem, homo de semine tuo, qui ha-

Gen. 6.

Leu. 21. 17.

habuerit maculam, non offeret hostias Deo suo, non accedet ad ministerium eius. Si cæcus fuerit, nimirum qui bonis artibus animum non induit. Si Claudus, qui viam quidem virtutis nouit, sed mobilitate animi non pergit. Si paruo, vel grandi, vel torto naso, qui vafer & callidus. Si fracto pede, vel manu: qui bonorum operum expers, magis extra vitia est quàm cum virtutibus. Si gibbus, cui tempus ambitione, sæculi curis & oblectamentis vitæ, nulla vel parua æternorum cura transigitur. Si lippus cui pectus zelo propagandæ gloriæ Dei, ritè peragendorum Diuinorum mysteriorum non feruet. Si albuginem habens in oculo, cuius animum affectuum prauitas insedit. Si iugem scabiē, cui carnis petulantia. Si impetiginem, cui auaritia dominatur. Pronum esset cæptum hac de re sermonem longiùs producere, nisi in ista doctissimorum & sanctissimorum virorum corona, exiguos ad disserendum limites habenti lubrica & angusta esset oratio. Quare ad secundam instituti sermonis partem venio, formamque ipsam Nóëmiticæ Arcæ considero quàm non carina areuata, non prora rostrata, sed in quadratam figuram, æquali planitierum latitudine fabrefactam spectandam exhibeo. Quid aliud quadratum quam sapientiam? quid Arca quadrata adhuc fluctuans, nisi ciuitatem illam

Mol. Institut. Sacer. tra. 2. c. 4. S. Greg. par. past. c. vltim. Mol. ib. S. Greg. 16. ibidem. S. Greg. Mol. 16. Mol. 16. S. Greg. 16.

Tabul. Cebet.

illam in quadro positam Ecclesiam inquam mili- *Apoc. 21. 16.*
tantem, sapientum & Doctorum firmitudine &
consistentia æquabili cinctam adumbrat? Nihil
quadrato perfecto rectangulo in figuris æquabilius
nihil firmius, latera lateribus, angulis anguli, sic re-
spondent, vt melius non posint. Ita vna superfi-
cies cæteras sustinet, vt vbi versa fuerit figura non
incommodius sustineatur: origo omnium ab vnius
superficiei recto decursu est, Inter Ecclesiasticos Pa-
tres, siue Doctores sic quoque se res habet, ab vna
superficie Euangelicæ historiæ, à quatuor sacris hi-
storicis veluti quatuor lineis comprehensæ fundan-
tur. Mutuo complexu & concordia consentientis
doctrinæ, illos & rectos & acutos angulos efficiũt,
quibus consistit Catholicorum fides, pungitur, fo-
ratur, transadigitur hæreticorum perfidia. Quem
illorũ primum statuas, quem secundum, non fa
cilè cognoscas ex doctrina, ætas ferme sola ex tem-
porum descriptione intellecta inter eos discernit.
Trude quadratum hoc non labetur, impelle non
voluetur, Tollantur ab Ecclesia fauores Principum
non corruet, dimittantur prægrandes opes adhuc
stabit, auferantur militares vires non expugnabi-
tur, vna si desit sapientia grauissimis damnis affici-
tur necesse est. Contra verò totus in Ecclesiam
coniuret orbis, armentur in cædes tyrannorum ma-
nus,

Mat. 16. 18. nus, induantur in flagitia perditorum hominum cogitatus, vel sola præsto sit sapientia, Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Recogitemus omnia vsq; ab initio nascentis Ecclesiæ tempora, & vim veræ sapientiæ qua hactenus, in concussa stetit Ecclesia circumspiciamus. Primam ætatem quasi infantiam agebat Ecclesia, dum primi hæresiarchæ Simonis Magi, Cerinthi deinde, tum inter alios Arianorum, serpentina & viperina rabies cunas eius inuasit, sed vt illum primum Principis Apostolorum oratio enecuit, ita hos Ioannis Apostoli, Dionisij Areopagitæ, Cypriani, Basilij, Hieronymi, Ambrosij, doctrinæ telum confodit. Quid dicam de eius adolescentia, cùm per orbem vniuersum crescente extendenteque se Ecclesia creuere & hostes, Donatistæ, Manichæi, Pelagiani, Nestoriani, & id genus monstra atque portenta; quanta tunc bellantium pro Ecclesia robora Augustinos, Gregorios, Bedas, Damascenos, millenos alios Deus submisit? Quis rursus hac virili & quasi robustâ Ecclesiæ maturitate pro ea contra infinitos perduelles, iuratissimos hostes, Hosiorum animus, Bellarminorum feruor? In his & aliorum Theologorum valida manu, pugnauit pro Ecclesia, vicitque sapientia, pugnabit & comite sanctita- Hilar. de Trin.

tevincet; ſemperque Eccleſia dum opprimetur creſcet, dum contemnetur proficiet, dum lædetur vincet, dum arguetur intelliget, ſtabit cum videbitur ſuperari,

D I X I.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	vers.			
17.	15.	profugarum	lege	profugorum.
25.	16.	habet	lege	habeat.
34.	19.	iuſtitiæ	lege	iuſtitia.
40.	3.	aſsiſtant	lege	aſsiſtunt.

Synode [illegible]